

2
6
263







DECRETA SYNODI DIŒCESANÆ FLORENTINÆ.

DECRETA SYNODI DIŒCESANÆ FLORENTINÆ

Celebratæ in Eccleſia Metropolita-
na die 24. Menſis Septembris
Anni 1699.



FLORENTIÆ. MDCXCIX.

Ex Archiepiſcopali Typographia apud Vincentium Vangeliſti.
Superiorum permiſſu.

JACOBUS ANTONIUS

Miſeratione Divina S. R. E. Tit. S. Cecilię
Presbyter Cardinalis Morigia

ARCHIEPISCOPUS FLORENTINUS

Venerabilibus Canonicis, & Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ, ac Diœceſis noſtræ Parochis, cæteriſque Clericis Sal.

ABſoluta Deo propitio hac **nova Synodo**, muneri, & amori Noſtro ſupererat eiuſdem impreſſione Eccleſiam Sponſam exornare, ac ſalutarium promulgatione legum univerſo Gregi proſpicere. Benedictionem, inquiebat Regius Pſaltes, dabit Legislator, ibunt de virtute in virtutem. Ea ſiquidem eſt adeò commendata per Tridentinos Patres Synodorum utilitas, ut avulſis ſentibus, amotis offendiculis, æquatis ſalebris, via vitæ, & diſciplinæ dirigatur ad cuſtodiendas iuſtificationes Dei. Et quamvis in alijs noſtris Synodalibus Conſtitutionibus nihil videri poſſemus omiſiſſe de ijs, quæ ſivè ad hanc viam Domini præparandam, ſivè ad huic Eccleſiæ ſplendorem adaugendum fo-

rent opportuna; quemadmodùm suis quoquè temporibus præstitère, qui nos præcesserunt Viri Sanctissimi: attamèn quia de humanæ conditionis infirmitate est, vepreculas succrescere, calles depravari, ipsum quoquè obscurari aurum, sæpèque numero mutari colorem optimum; nova ideò hac Synodo, & illas convellere, & semitam instaurare, & nitorem, qui abijt, revocare, ac manentem adaugere sategimus.

Hanc votorum summam planè assecuti fuerimus, si vos, qui Duces quodammodò Populo estis, & quorum Consilijs firmata sunt nostra hæc Decreta, quantùm reliquo Gregi Ordine, ac Dignitate præestis, tantundèm, ut de vestra pietate confidimus, disciplinæ zelo, ac eorumdem observantia præluxeritis. Nec id perperam sanè à vobis exigimus, cum materies ipsa legum, aut unicè ad vos spectet, aut charitatem vestram in primis urgeat: Dispensatio scilicet Mysteriorum Dei, Religionis cultus, Templorum nitor, Sacrorum Maiestas, & quæ providè sunt Constituta, tùm ad præcavenda dissidia, & ambulandum in Domo Dei cum consensu; tùm ad exhibendum vosmetipsos, sicut Dei Ministros, incæptumque à vobis vitæ perfectioris studium, ad Populos extendendum, parando Domino, verbo, & exemplo Plebem perfectam. Nos interim, quibus, fratres, confirmandi cura est demandata, creditosquè filios totiès reformando parturire, donèc in eis Christus perfectè efformetur, ipsum enixè precabimur, ut quas dignatus est Nobis inspirare Sanctiones, in Animis vestris illibatas custodiat, & Gratiæ suæ præsidio vos omnes tueatur, æternumquè servet incolumes.

D. ALOYSII ALEX. JOSEPHI
MARTII MEDICES
CANONICI FLORENTINI S. T. L.
ORATIO
Habita ad Synodum.

INnumeras inter morientis sæculi ærumnas, quibus universus Orbis terrarum, & nostra ipsa Florentina Civitas communium calamitatum particeps premitur, nihil magis Eminentissimi Præsulis vigilantiam, & præcipuam in filios charitatem sollicitat, quàm Ecclesiæ sibi cõcreditæ naviculam inter mundi adhùc illecebras, ac pompas Sathanæ fluctuãtem conspicere. Quasi verò Christus Jesus præcipuus Navigij Gubernator non paucis iam tepidis dormiens, ut cum Magno Gregorio loquar, ratem universam tempestatum arbitrio quassandam tantùm

non reliquerit, ac absorbendam. Et quoniam pro eludenda ingruenti procella laborantibus nullum præstò esse potest solatium, nisi ab ineffabili eius ope, cuius imperio Mare, & Venti obedire consueverunt, id consilij cæpit prudentissimus, ac piissimus huius Sacrosanctæ Synodi Moderator, ut Vos hodierna die in Concionem advocaret enixè hortaturus, ut sincera in Deum fide, ac unanimi voto dormientem in cordibus populorum Dominum pro viribus excitetis à somno, Animas videlicèt vestro muneri demandatas, quas ab inertia spiritus in tantum perniciosa, si quas etiam à pravis, heu nimium, moribus, studia in contraria compellatis, ad illum repurgato ab iniquitatibus corde reverti sedulò docentes, qui, & ut petamus, sicut oportet, nulli non præstat auxilium, & ut obtineamus, quod fideliter petimus, efficacissimum benignus largitur adiutorium. Hæc igitur fuerit vestrorum summa votorum, Patres ornatissimi, ut in id omnes animi vires unicè intendatis, ne per socordiam eos in oculis vestris perire patiamini, pro quibus liberandis omnia perpeti Deus ipse dignatus est, pro quibus sublevandis Præsul noster amantissimus omnia facere satagit, quibus ad meliorem frugem reducēdis universa Sacrosan-

ctæ Synodi dirigetur intentio, & tota brevis hęc noſtra collimabit Oratio.

Rationalis Animæ pretium nulla rerũ humanarum comparatione æſtimari poſſe, ſed in immenſum excreviſſe unuſquiſque facilè animadvertet, ſi humanum Genus primi Parentis culpa æternis ærumnis mãcipatum, meminerit iis gradibus rediiſſe ad vitam, quibus Unigenitus æterni Patris pro eo reparando properavit ad mortẽ. Multum eſt, quod in eius commendationem litteris tradidère Philoſophi, qui eam divinitatis particulam nuncuparunt. Multum, quod de illa prædicavère Græcorum Sapientiſſimi, quibus Deorum primogenita videri potuit. Multum, quod de ipſà univerſus hic à Deo conditore tam admirabili artificio compactus prædicat Orbis, qui non Harmonicis Pythagoræ notis, ſed cœleſti prorſus eloquio ſe in ſalutem hominis conditum profitetur; Sed nihil profectò clarius, nihil luculentius pretioſiſſimam Animæ conditionem evincit, quam noſſe Deum ipſum in Animæ pretium tranſiiſſe, & ut homo à morte immunis abiret, Dei filium crudeliſſimam mortem ſubiiſſe. O rem planè admirabilem! plus noſtra doluit crimina, quam ſua vulnera, & propter nimiam Charitatem, qua dilexit nos æſtu propemodum

amo-

amoris abreptus, ut hominem repurgaret à sordibus, sui largitione Cruoris lavacrum regenerationis aperuit. Quid maiora commemorem? Stetit divinæ impendio Vitæ hominum vita, nec quidquam præter ipsumDeum condignum salutis nostræ pretium est reputatum. Quod si (ut Hilarij verbis utar) *tam copioso munere ipsa redemptio agitur, ut homo Deum valere videatur.* Quis cum Augustino sibi metipsi gratulabundus non exclamet, *Omnia! erige te; tanti vales!* quis Bernardo fidem habère detrectet, cum nos paterno prorsus affectu admirabundus alloquitur: *Ipse diligit vos tanquam viscera sua, tanquam fructum pretiosissimum Crucis suæ, tanquam dignissimam recompensationem effusi Sanguinis sui?*

En, Sapientissimi Patres, quid, & quantum, vobis committitur, cum in exercitio muneris vestri Animarum vobis cura demandatur. Qua igitur solertia, quibus artibus, quànam animi alacritate nos omnes incumbere deceat in tantũ Opus, ut Animas usque adeò pretiosas, & Deo gratas lucrifacere valeamus? Si spiritus oris nostri Christus Jesus ut in hominem cœlesti vitæ demortuum spiraculum vitæ melioris denuò inspiraret, Animam ipsam expiravit in Cruce, nos, qui sub tanto Duce stipendia meremur, operis difficultate perterriti fortia quæque perpeti de-
tre-

trectabimus? Quænam ignominiæ nota militi non inuratur, qui oſcitabundus, & pavidus ſegni, ac exitiabili tabeſcat in otio, dum Imperator collatis ſignis acerrimo periclitatur in prælio? Puduit Uriam iuſſu Regis è caſtris ad Urbem regreſſum lares familiares inviſere, & ad Uxoris thalamum divertere, cum Joab militiæ princeps in Ammonitarum expeditione iniurias belli pateretur, nec Regis ipſius clementia uti voluit, qui cum ad delicias pacis invitabat, quin renuens exclamavit Arca Dei, & Iſrael, & Juda habitant in papilionibus, & Dominus meus Joab, & Servi Domini mei ſuper faciem terræ manent, & ego ingrediar domum meam, ut comedam, & bibam, & dormiam cum Uxore mea? per ſalutem tuam, & per ſalutem Animæ tuæ; non faciam rem hanc.

Liceat iam Patres ornatiſſimi in Sæculi voluptates totos incumbere Sacerdotes, & ſtipendia pro Animarum cuſtodia nobis elargita in deliciarum uſus convertere, interìm verò Chriſtus Redemptor, quem noſtræ militiæ Ducem auſpicamur, Crucis ignominiam patitur, Crucis mortem pro ſalute populorum ſubit. Quem noſtrum non pœniteat tanti facinoris? Quis non ad meliora converſus dicat cum Bernardo Dominus meus pendet in patibulo, & ego voluptati operam dabo?

At non inficior tantum onus humeris Angelo-

rum.

rum formidabile impar esse, quod viribus nostris fortiter feramus, imbecillitatem fateor, difficultatem agnosco. Verum enìm verò editissimorum montium hoc esse singulare scribit Plinius, ut hyemis gelu cum veris amœnitate maritent, eodemque tempore cacumina nivibus rigentia, ac floribus simul redimita admirabili quodam nexu præseferant. Non secus, Patres, magnarum mentium est animi alacritatem cum difficultatum asperitate coniungere, & tum demum in ardua quæque fortius eniti, cùm difficillima, ac penè nostras superantia vires, ab operis virtute deterrère conantur. Agite iam fortissimi Commilitones; eia insignes Christi bellatores, exite ad eum extra castra, & in medios hostiũ Cuneos velut emissa cœlitus fulgura irrumpite; adstat pugnæ spectator, & dimicantium scutum, victorumque præmium ipsemet Mortis, ac Culpæ debellator Christus Jesus. Corripite arma viriliter, gladium Spiritus stringite, verbum scilicèt Dei, & sublato Christi Vexillo, ubi stipatæ magis perterrefaciunt acies, audaciores irruite; si Deus pro nobis, quis contra nos? Causam illius agitis, qui vincere potest, utcunque debiles sitis, etiam in vobis: En quomodo animos addit divinus ille Spiritus, qui Proverbiorũ

tertio in hæc verba vos admonet: Ne paveas, inquit, repentino terrore irruentes tibi potentias inimicorum; Deus enim erit in latere tuo. Durum quidem certamē eſt, ſed in tuto Victoria. Non levis ſubeundus eſt labor, ſed laborantes præmia manent opulentiſſima. Non incruentum futurum eſt præliū, ſed glorioſus minimè deerit triumphus. Quid verò vos ornatiſſimi Patres ſpe retributionis ad proprium munus explendum allicio, quos paratiſſimos ſentio ſponte veſtra ad pericula quæque pro Chriſti honore fortiter ſubeunda? Vos ego lucem illam agnoſco; quam tenebrarum operibus diſſolvendis lux æterna Chriſtus Jeſus Orbem Catholicum illuſtraturam invexit. Natura luminis eſt, Hilarius addit, ut lucē interimat, quocūq; circumferatur, emittat, illatumque ædibus tenebras luce dominante. Per vos igitur à cordibus eorum, qui veſtræ fuerunt curæ demandati, caligo terrenæ ſordis abſcedat, & divinæ gratiæ puriſſimus ſplēdor affulgeat; redeat, ſi tamèn abeſt, morum integritas, reviviſcat fides, nulluſque ſit, qui per vos Evangelicæ charitatis ardentiſſimo nō exuratur incendio. Sapientia illa ſingularis, cui unuſquiſque veſtrū in ulceribus Animorum medendis egregiam navaturus eſt operam, ſal Evāgelicum repræſentat, cui Præceptor æternus

mi-

mysteriorũ suorum dispensatores comparavit. Non igitur vestra tantum, sed vosmetipsos condiendis populorum moribus insumere par est. Si Sacerdotium corruptum fuerit, omnium fides marcida est, inquit Gregorius. Satagite igitur Fratres, ne quis suo muneri desit, & vestrum facinus aliorũ possit esse perditio, & causa sint ruinæ populi mali Sacerdotes.

Synodalia hæc præcepta, & Sanctiones ad morum reformationem, ad Animarum salutem, ad Dei gloriam mox edendas libenter, ac venerabundi suscipite; Christianę Plebi custodiendas proponite. Omni studio, viribus inquam, omnibus in lucra Animorum incumbite, quod sublimissimum Sacerdotij munus exposcit, quod populus sanctificandus expectat, quod Deus ipse postremò iudicaturus requiret. Ego iam gloriosi certaminis, & nobilissimi triumphi pręco faustus effectus id vobis annuntio, quod iubente Domino tribubus Judę, ac Beniamin, Azarias edixit. Confortamini, & non dissolvantur manus vestræ, erit enim merces operi vestro. Dixi.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ

TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Amen.

NOS NICOLAUS DE CASTELLANIS Vicarius Generalis Florentinus Vice, & nomine Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Domini Jacobi Antonij Miseratione Divina S. R. E. Tit. S. Ce-

ciliæ

ciliæ Præsbiteri Cardinalis Morigia Archiepiſcopi Florentini, & de ipſius expreſſo, ac ſpeciali mandato ad Dei Omnipotentis, Beatiſſimæ Deiparæ ſemper Virginis, ac Sanctorum Joannis Baptiſtæ Patroni, Zenobij, ac Antonini Antiſtitum tutelarium honorem, & laudem in præſenti Diœceſana Synodo ad Animarum ſalutem, ad Religionis ornamentum, & decus, & ad Eccleſiaſticæ Diſciplinæ integritatem, qua Clerus, & Populus fidei noſtræ concreditus acquirere incrementa Virtutum, & magis magiſq; in dies bonis moribus præfulgère ſtudeat, infraſcriptas Conſtitutiones, & Decreta indicimus, & promulgamus.

TITULUS I.

DE PROFESSIONE FIDEI.

CAP. I.

A Sacrosanctâ, & orthodoxâ Fide, veluti a primo matutinæ lucis afflatu, primos huius Nostræ secundę Synodi effatus haurire decrevimus. Lampas enim animarum nostrarum Fides est, per quam Deus ipse æternæ lucis auctor, & fons luminis, humanæ ignorantiæ depulsis umbris, ac densâ errorum omnium eliminatâ nocte in admirabile divinę suæ veritatis lumen vocavit, illuminans nos mirabilitèr à montibus æternis. Unde Nobis tanti luminis fulgoribus irradiatis, arcana ipsa, atque recondita mysteriorum Sacramenta elevatâ nostræ mentis acie attingere facile posse datum est. Merito ergò relucente hac face opus aggredimur, illustratione mentes nostræ ità clarescant, ut veræ filii lucis nominemur, & simus.

At nè nos in hac meridiana luce caligare videamur necesse est, ut tanti luminis fulgor è cordibus nostris, veluti è speculis refractis radiis totus emergens splendorem suum foris emittat, scilicet per ipsius Fidei professionem iuxta illud, credimus propter quod, & loquimur.

Omnibus igitur, & singulis, qui hanc Fidei professionem præstare ex vi proprii muneris, aut beneficii id exposcentis, vel quomodolibet de iure, aut consuetudine, ex præscripto Sacrosancti OEcumenici Concilii Tridentini obstricti sunt, mandamus, ut iuxta vulgatam formulam fel. record. Pii IV. Pont. Max. in manibus nostris, vel nostri Vicarii Generalis quamprimùm emittant.

Quod si id implere neglexerint, intelligant ex Decreto eiusdem

Sac. Sanct. Conc. se nullo modo beneficiorum fructus posse percipere, & si quos perceperint eorum restitutioni obnoxios esse, absque eo quod, nec ipsa possessio suffragari possit; insuper hisce pœnis, & nostras pariter pro arbitrio inferendas comminamur.

TITULUS II.
DE FIDEI INITIIS, PUERIS, RUDIBUSQUE TRADENDIS.

CAPUT I.

SIcuti in omnibus humanis scientiis non parvi ducuntur institutiones, & elementa, ac præexercitamenta Doctrinæ, ità neque Christianæ eruditionis, & disciplinæ principia parvi sunt facienda; quinimmò tanto magis amplectenda, quanto eorum scientia non solum fructuosior, sed ad salutem est necessaria. Illa enim ad gloriam, aut ad quæstum, aut ad finem aliquem humanum, ista ad divinum, cœlestemque conferuntur.

Quapropter in Domino præcipimus omnibus Plebanis, Prioribus, Parochis, aliisque animarum Curæ præpositis, ut in tradendo Fidei rudimenta toto animo incumbant, cum ad id peragendum divinitus præordinatos se esse sciant; Ideoque non sine maximo eorum animæ detrimento, si hoc opus negligerent, eveniret.

CAPUT II.

SIngulis itaque Dominicis, ac diebus festis Parochi, aliique animarum ad Curam addicti pueros omnes ad Ecclesiam convocent, aut stata hora, aut propriæ Campanæ sono, eosque vel ante Parochialis Missæ celebrationem, sive lecto Evangelio, ut in aliis Synodis à Prædecessoribus nostris, & à Nobis in hac re satis provisum est, initia Fidei doceant, atque ad ea omnia, quæ ad Christia-

ſtianam religionem pertinent, inſtituant, manſuetè tamen, & cum ſignificatione amoris, & obſecrando magis, quam increpando, à pravis naturæ inclinationibus avocare, & ad Chriſtianæ vitæ integritatem ſuadère conentur. Norint ſuos Auditores eſſe, quibus lacte opus eſt non ſolido cibo, non ſubtiliori ſcilicèt, & altiori Doctrina, ſed plana æque, ac facili, quæ ædificat parvulos, quorum mentes teneras, & anguſtas, panis ipſe quamvis ad nutriendum aptus ſuffòcat.

CAPUT III.

HOrtamur pariter, immò omni ſtrictiori modo, quo poſſumus iterum in Domino præcipimus omnibus Parochis, ut Patres, ac Matres familias admoneant quo iure ſint obſtricti, non modò ad educandos filios, ſed ad eos benè educandos, atque in Fidei, & Chriſtianæ Religionis rudimentis inſtituendos; Ideòque omni curâ, & ſolertiâ tàm ſtrictæ obligationi ſatisfacere non omittant, non parcendo, & ſi opus fuerit diris increpationibus, & aliquandò virgæ, & verberibus; Si enìm virgæ filios percutient; eorum animas de inferno liberabunt.

Quod ſi iidem Parochi, ſivè Confeſſarii omnes animadvertant Parentes ipſos circa filios, ſeù Dominos circa famulos in hac re deliquiſſe ſeveriſſimè increpent, & redarguant; Si autem agnoverint, quod ad Eccleſiam mittere filios, aut famulos inſtruendi gratia detrectent, eos ab ipſamet Eccleſia eliminare, atque etiam à Sacramentorum ſuſceptione, extra neceſſitatis caſum, quemadmodum alibi optimè cautum eſt, parcere non paveant.

CAPUT IV.

LUdi Magiſtri, & Præceptores quòque ab hoc munere immunes ſe eſſe non credant, his enìm præcipimus, ut Sacroſancta Fidei dogmata pueris, & adoleſcentulis ſemèl in hebdomada interpretari non renuant, eoſque probis moribus imbuant, initiumque Sapientiæ timorem eſſe Domini oſtendant.

CAPUT V.

UT autem Infideles, ſive Turcæ, ſive Hebrei ſint, qui cupiunt inter Chriſtifideles adſcribi, & Sacroſanctum Baptiſma ſuſcipere, ad quem effectum in Pia Domo Cathecumenorum inhabitant, faciliùs, & perfectiùs in initiis, & rudimentis Fidei inſtruantur; Committimus, & mandamus Superiori, ſeù Præſidenti Congregationis S. Salvatoris, ut ipſe, vel alii dictæ Congregationis Sacerdotes ab eo deputandi dent operam, & ſummo ſtudio invigilent, ut tales Cathecumeni optimè addiſcant ea, quæ neceſſaria ſunt neceſſitate medii, illoſque doceant etiam alia, quę ſunt neceſſaria neceſſitate præcepti ad ſalutem, & vitam æternam conſequendam, adeoùt his recentèr imbuti hilari, & prompto animo convertantur ad Jeſum Chriſtum Dominum Noſtrum, à quo, & à Deo Patre, & Spiritu Sancto Cooperatores ipſi pro laboribus ſuis debitam mercedem recepturi.

Cæterum ſicut omnibus omnia, quæ in aliis præteritis Synodalibus Conſtitutionibus circà hanc tanti ponderis rem ſancita fuerunt innovata, ac validiſſimo præcepto confirmata volumus, ità eos qui tàm grave negotium neglexerint ſeveriſſimas pœnas à nobis infligendas nullo modo evitare poſſe indicimus.

TITULUS III.
DE JUDÆIS.

CAPUT UNICUM.

ET ut intaminatus Orthodoxæ Fidei candor ad extremum uſque mortalis vitæ diem ab omnibus conſervari poſſit, noſtri muneris eſt, quantacumque fungimur auctoritate ea omnia removere, quibus corrumpi, vel ſaltèm obnubilari poſſit; ſplendeſcit fidei puritas, cum ab ea ſordes ſeparantur errorum. Fides enìm multo prætioſior auro nullam prorſus aliarum quarumcumque Religionum admixtionem patitur, immò veluti ſpeculum, per quod in enigmate

Deum

Deum videre fas eſt, leviſſimo etiam afflatu læditur, inſenſibili tactu frangitur. Toto igitur pectore præcipimus, ne quis vir, aut fæmina quocumque titulo Judęorum commercio, ac familiaritate utatur, nullum prorſus miniſterium eis impendere, aut ſerviendo, aut obſtetricando, aut lactando audeat, omnemque eorum ſocietatem, ac communicationem fugiat, ni excommunicationem incurrere velit iuxtà aliarum Synodorum Conſtitutiones, quæ omnimodam Chriſtiani tritici à Judaica zizania ſegregationem inculcare non deſinunt.

Sic enim Sapientiſſimus rerum omnium conditor Deus in ipſo Mundi exordio rebelles Angelos à Sanctis ſeparavit, lucem à tenebris diviſit, ne perfidorum ſocietas, cęteros quoque ſi fieri potuiſſet in perfidiam, & rebellionem abriperet.

TITULUS IV.

DE PRÆDICATIONE VERBI DEI.

CAPUT I.

PRædicationis Verbi Dei miniſterium, quam proficuum ſit, ac neceſſarium Dominico gregi, ut paſcua inveniat ſalutaria, & à recta ſalutis via non deflectat, ex eo deduci poteſt, quod in hac caliginoſa ſeculi nocte Sacri Oratores ſi docti fuerint, quaſi ſplendor firmamenti fulgent, & ut ad Juſtitiam, & Sanctitatem erudiant multos, quaſi ſtellæ emicant in perpetuas æternitates; Omnes ergo, qui pro roſtris ſacras habent conciones curent divina myſteria populo interpretari, fidem Catholicam declarare, peſtiferos errores refutare, ſuperſtitiones, & vitioſas morum conſuetudines radicitus extirpare, & ad vitæ integritatem, & Sanctimoniam audientes inſtituere, hæc autem omnia fient, quo regnum Dei amplificetur, Diaboli imperium diſſipetur, fundituſque evertatur.

CAPUT II.

EOrum ſermo ſit purus, dilucidus, actio ſententiis reſpondens plena animi, plena Spiritus, ardeant ut alios incendant, opus faciant Evangeliſtæ, Parteſque Doctoris Eccleſiaſtici adimpleant, non crebris proverbiis, ac fabellis, verborumque lenociniis plebem demulceant, & pro oratione Sanctimonię plena, ut decet Sacros Eccleſiaſtes, comptam magneticam vim habentem, ac mellitis verborum globulis conteſtam promere audeant: aliàs fumum venditantes, atque inanem gloriam captare inhiantes ſolidam æternę glorię mercedem, apoſtolicis promiſſam laboribus amitterent, unicus eorum prędicationis finis, & ſcopus ſit, ut Chriſtum prędicent, & hunc Crucifixum, quem è Cathedra Crucis Sanguinis ſui voce, cum clamore valido humanum genus erudientem ad ſalutem invitare ſatagant, docentibus denique ipſis in Eccleſia non clamor populi, ſed gemitus ſuſcitentur, lacrymæ auditorum laudes ipſorum ſint.

CAPUT III.

SAcram Scripturam ad libitum, & pro acumine proprij ingenij interpretari magni periculi, immo multæ temeritatis opus eſſe credant; profundiſſimis enim ſenſibus prædita ſunt divini ſermonis oracula; Ideoque Sanctorum Patrum explicationes perquirant, eorumque auctoritates in medium afferant, quin potius ipſorum ſemper ore loquentes, nunquam in ſenſum quem volunt Bibliam detorqueant.

CAPUT IV.

PRæcipuus ſacræ prædicationis fructus eſt vitia radicitus in illa invehendo extirpare in hominum flagitia detonandum eſt; in graviſſimo ſalutis negotio totus exſudare debet animus, ut per virtutis, omniſque pietatis ſemitas in beatum ſalutis portum deducantur aberrantes, & ab immani inferorum præcipitio evocentur prolabentes, poſiti ſunt divini verbi præcones, ut evellant, & deſtruant, & diſperdant, & diſſipent. Quare omne ſtudi-

ſtudium, operam, laborem, ſudoremque conferre curent in hoc, ut quidquid in Chriſtiana plebe vitioſum eſt, cum libertate Fidei corrigant, evellant peccandi actum, conſuetudinem deſtruant, occaſionem diſſipent.

Caveant tamen, ne cum offenſione cuiuſcumque reprehendát, aut ulla verborum circuitione quemquam alicui vitio deditum pandant multo minus Sacros Eccleſiæ miniſtros, cuiuſvis gradus, ac dignitatis mordeant, ſed omnes generatim in flagitia ipſa invehendo arguant, neminem, ut ait Hieronymus, ſpeciatim ſermo pulſet, generaliter de vitijs diſputatio ſit.

TITULUS V.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

ADmirabilisdivini ſervatoris noſtri Jeſu Chriſti charitas in conferendis humano generi redemptionis ſuæ beneficijs, tunc potiſſimum enituit, cum è ſacrario ſuæ divinitatis è mammilla ſcilicet ſui pectoris pretioſiſſimum Sacramentorum lac effundere voluit, utquos morte ſua invitam ediderat filios ſaluberrimo ſui cordis humore inde lactare, atque nutrire potuiſſet.

CAPUT I.

UT autem Chriſtifideles ex ſeptem ſalutiferis Sacramentis, veluti ex ſeptem uberrimis fontibus Salvatoris aquas perennes poſſint in gaudio haurire præcipimus, & committimus omnibus animarum Curæ præpoſitis ut exponant vernacula lingua ovibus ſibi commiſſis numerum, materiam, formam, miniſtrum, intentionem, diſpoſitionem, & effectus cuiuslibet Sacramenti, & quæ ſint caractèrem imprimentia, & tamquam irreiterabilia ſine ſacrilegio iterari nequeant, & quæ uti neceſſaria neceſſitate medij, & præcepti ad ſalutem æternam conſequendam,

& quæ ſint neceſſaria neceſſitate præcepti tantum, adeout agnito illorum valore, efficacia, & dignitate neceſſitate, nec non debita ad ſuſcipiendum præparatione cum fructu exiſtant capaces gratiæ, quam ex opere operato tum operantis producere valent, & ſi quis negligens repertus fuerit ſuo muneri ſatisfacere, pœnas pro modo culpæ luet arbitrarias.

CAPUT II.

JUbemus ergò Parochis, quod in Sacramentorum adminiſtratione, & confectione nullis alijs utantur ritibus, & ceremonijs, quam præſcriptis in Rituali Romano iuſſu Pauli V. edito, & promulgato, in quo aſſignatur habitus, forma, & modus illa adminiſtrandi, ſed omnia, & quæcumque in eo contenta inviolabiter ſervari mandamus, & qui ſecus fecerit ſeveriſſimè arbitrio noſtro multabitur.

CAPUT III.

CAveant etiam Parochi in Sacramentis gerendis ab illicito quæſtu, quià ſi aliquid petant, & exigant pro illorum uſu, & adminiſtratione præter culpam lethalem, quam incurrerent, Simoniæ labe, & avaritiæ ſpecie infectos eſſe declaramus, & pro ijſdem delictis pœnas habebunt in iure contentas.

TI-

TITULUS VI.

DE SACRAMENTO BAPTISMI.

CAPUT I.

AD æternæ promissionis littora, quæ teterrimum originalis culpæ cahos prospicere nobis nedum attingere vetabat per vitales Sacrosancti Baptismi fluctus in virga Crucis Salvator noster aditum aperuit, ut Portum salutis sanctificantis gratiæ prælucente pharo facilè invenire possemus. Ne ergo tam singulare miserationis divinæ emolumentum ob periculosæ dilationis moram ab infantibus recenter natis deperdatur, omnibus præcipimus ut eosdem parvulos inter nostræ huius vitæ, mortisque discrimina erumpentes, quam primum sacro fonte expiandos Ecclesiæ deferant, ut per sacrorum Crismatum linimenta, ac lustralis undę aspersioné æternum animæ naufragium evitent.

CAPUT II.

OBstetrices autem, quibus non nisi in imminenti vitæ periculo licet infantes baptizare, caveant ne formam prò huius Sacramenti confectione proferendam, aut augeant, aut minuant, vel in minimo quidem apice mutent; Ideoque antequam tanti momenti opus exerceant diligenti examini, atque exactæ instructioni se se offerant, ac perinde earum scientia perspecta, facultatem à Parocho id munus exercendi accipiant, aliter sicut culpæ noxam non evitabunt, ità diræ excomunicationis pœnam luent.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

CAPUT I.

CUm nobis in hoc mundo victuris inter invisibiles hostes, ac immensa quoque externa pericula gradiendum sit post Baptismum, quo regeneramur ad vitam valdè necessaria est confirmatio ad salutem, ut per eam cumulatioris gratiæ robore confirmati propositos nobis agones strenuè, ac viriliter superare valeamus.

Omnes ergò Ecclesiarum Parochialium Rectores admoneant Patres familias ut parvulos suos expleto septennio sacro confirmationis caractère muniendos ad Episcopum adducere non omittant, ut per huius sacri Crismatis unctionem tanquam fortes Atlethæ in palestra humanę vitę se gerere valeant.

CAPUT II.

CÆtera omnia quæ in nostra prima Synodo decreta, firmata, & stabilita fuerunt ad hoc Sacramentum debita cum dispositione suscipiendum, iterum confirmamus, renovamus, & ad memoriam animarum Curæ præpositis sub pœnis inibi contentis, & comminatis reducimus.

TITULUS VIII.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

CAPUT I.

AD reparandam animarum nostrarum imbecillitatem beneficentissimus Salvator noster è divinitatis ærario cœlestem Nobis Angelorum panem, se ipsum videlicet præstitit, ut in fortitudine cibi istius ad montem æternæ vitæ pervenire possimus. Hinc Sãcta, atque amantissima cunctorum mater Ecclesia spiritali quodam dolore naturæ compatiens, cum suos liberos hereditaria inclinatione ad lapsum cernit urgeri diviníssimi huius, ac fortissimi cibi sumptionem præcipit semel saltem in anno, ut anima cęlesti robore confirmata altum, atque arduum ęternę salutis iter feliciter conficiat.

CAPUT II.

PRopterea Parochos omnes admonemus, ut suos subditos ubi discretionis annos attigerint de tanti Sacramenti virtute, ac mysterijs, alijsque pro digna ipsius perceptione scitu necessarijs summo studio instructos velint, ut quamprimum in suo fonte dulcedinem prægustent, qui in hac lacrymarum valle amaros culparum calices haurire non desinant.

CAPUT III.

ALia vero, quæ de huius augustissimi, & tam admirabilis Sacramenti dignitate, excellentia, cultu, asservatione, dispositione, & susceptione in Conc. Trid., & in Prædecessorum nostrorum Constitutionibus, & Nostris emanata fuere supervacaneum hic repetere existimavimus, sed illa ad unguem in præsenti Synodo sub pœnis inibi contentis servari iubemus.

TITULUS IX.

DE SACRAMENTO POENITENTIÆ.

CAPUT I.

QUandoquidem post vivificam salutaris Baptismi medicinam, in quo veteri homine deposito novus induitur, si fuerimus in peccatum prolapsi, non alio possumus auxilio, quam per veram pœnitentiam, quę secunda est post naufragium tabula reparari; Idcircò studiose curandum esse censuimus, ut qui Deum nec infrequenter nimis offendimus, hanc Nobis cum eius miserationis ope tabulam exquiramus, quę Nos per maris huius magni, ac spatiosi fluctus navigantes ad verę salutis portum securos tandem valeat perducere.

CAPUT II.

NOs itaque ad memoriam reducimus omnibus Sacerdotibus tam Sęcularibus, quam Regularibus ne evidenti periculo committendi sacrilegij lethali culpa, censura, vel alio Canonico impedimento irretitos ad Christi fidelium audiendas confessiones se exponant, memores tanti delicti reos in die extremo Judicio a iustissimo Judice debitam pœnam recepturos, quinimmò si aliquis ex supradictis neutiquam approbatus ad Confessarij munus obeundum sine Nostra, vel Vicarij nostri generalis speciali, & expressa in scriptis obtenta licentia (pręter casum necessitatis) Confessiones audire, vel a casibus, & censuris Nobis reservatis absolvere pręsumpserit, excomunicationis pœnam ipsofacto incurrendam, aliasque arbitrarias non effugiet.

CAPUT III.

INsuper innovamus, & confirmamus omnia, quę in alia nostra pręterita Synodo statuimus, & decrevimus ad ritè, & rectè à Confessarijs, & curam animarum gerentibus administrandum

hoc

hoc Pœnitentiæ Sacramentum, ita quoque tamquam hic inserta obſervari præcipimus.

CAPUT IV.

LIcet in præterita noſtra Synodo prohibitum fuerit Confeſſariis abſolvere, tum illos in proxima voluntaria occaſione peccandi degentes ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis Confeſſionibus ipſo facto incurrenda, tum proprios complices in re venerea; ſub pœna ſuſpenſionis à Divinis paritèr incurrenda. Tamen cum magna noſtra afflictione intelleximus hanc legem, quaſi ſtatim illius obliti fuerint aliqui ex Confeſſariis ſervare neglexerunt, abſolventes indiſtinctè, abſque metu ſuſpenſionis indictæ, omnes talibus impedimentis irretitos, cum maximo propriæ, & pœnitentis Animæ detrimento, perperam interpretantes ſuſpenſionem à Divinis à Complicibus in re venerea tantùm incurri quando actus eſt completus ſecus quando eſt incompletus; Quia ad tollendam huiuſmodi dubitationem declaramus complices proprios in re venerea utrumque caſum complecti, ſivè completè, ſive incompletè delictum patrati fuerint. Huic temeritati, & proterviæ conſulere cupientes, iterùm in hac noſtra præſenti Synodo dictam prohibitionem, cum ſupradicta declaratione, ſub iiſdem pœnis inibi expreſſis, & contentis innovamus, confirmamus, aliiſque graviſſimis arbitrio noſtro imponendis tranſgreſſores Confeſſarios omninò ſubiicimus; Et ut in poſterum amplius dictarum prohibitionum ignorantia allegari, & preſumi nullatenus valeat, committimus, & mandamus, ut inter præcepta, & documenta pro Parochis, & omnibus Confeſſariis Civitatis, & Diæceſis Florentinæ, edita in Synodo anni 1645. inferantur, & typis ſub nomine Noſtro denuò mandentur, & à quolibet Parocho, & Confeſſario ſumi debeant affigenda in Confeſſionario, ad hoc ut unuſquiſque ſciat quomodo ſe gerere debeat in abſolvendo Pœnitentes in caſibus prohibitis, & in aliis Nobis reſervatis, ſub pœna privationis facultatis ad audiendas Confeſſiones ipſo facto incurrenda, aliiſque arbitrio noſtro infligendis.

CA-

CAPUT V.

QUemadmodum in nostra præterita Synodo tit. de Ordine §. 3. sancivimus, quod præmittantur Exercitia Spiritualia ab illis, qui initiandi sunt Ordinibus Accolytatus, Subdiaconatus, Diaconatus, & Præsbyteratus, quam dispositionem hic confirmamus, & quatenùs opus sit innovamus; ità nunc in hac præsenti Synodo præcipimus, & mandamus, ut dicta Exercitia Spiritualia fieri debeant paritèr tùm ab illis, qui sunt promovendi ad quamlibet Ecclesiam Parochialem antequam ad illam instituantur, & eius possessionem adipiscantur etiam ad nutum amovibilem, nec non ab illis, qui Confessarii Officio fungi cupiunt, tùm quoque à Confessariis destinatis ad Sanctimonialium Confessiones audiendas, priusquam hoc munus exercere incipiant. Insuper hortamur, & in Domino obsecramus omnes Parochos, & Monialium Confessarios, ut quotannis his exercitiis faciendis se dedant, memores se ex ipsis uberrimos fructus pro salute Animæ suæ, & Pœnitentium recollecturos.

TITULUS X.

DE EXTREMA UNCTIONE.

CAPUT I.

VAlde consentaneum, & iustum est Sacramento Pœnitentiæ adnectere Sacramentum extremæ Unctionis, quia sicut illud fuit ad salutem necessarium lapsis post Baptismum, unde dicitur secunda post naufragium tabula, ita hoc in extremo vitæ discrimine constitutis est institutum ad expianda peccata, præsertim levia, si quæ sint, & tamquam adiutorium à Deo prærordinatum ad peccati reliquias abstergendas, & ad animam ægroti alleviandam, atque roborandam, & ad magnam in

eo

eo divinæ misericordiæ fiduciam excitandam, à qua infirmus sublevari, ac morbi incommoda, ac labores levius, & suavius ferre possit, & suggestionibus atque tentationibus Dæmonis in ultimo conflictu insidiantis obsistere valeat, & salutem corporis interdum, si animæ expediens fuerit, consequatur.

CAPUT II.

PRopterea in Domino obsecramus omnes Christifideles Nostræ Pastorali sollicitudini subiectos, si quandò aliquis periculosè decumberet statìm Præsbiteros Ecclesiæ inducat, iuxtà monitum Divi Jacobi; Et in exitu vitæ constitutus hilari animo hanc sacratissimam, & extremam unctionem præviâ Sacramentali Confessione, vel aliquâ saltem attritione, si de mortali conscientia non remordeat, exposcat, ut prætioso hoc liquore perlinitus fortius contrà spiritualem hostem tùnc acrius insultantem dimicare possit, & tamquam Christi bonus atletha pro parta victoria gratiam in hoc mundo, & gloriam in Cœlo obtineat.

CAPUT III.

JUbemus ergò omnibus Parochis tàm Sæcularibus, quam Regularibus ut diligentes se exhibeant in conferendo hoc Sacramento tantum adultis morbo gravi laborantibus, adeòut adsit vitæ periculum, è contra verò impænitentibus, furiosis, aut amentibus, vel ab ipsa nativitate, sive etiàm usu rationis non habentibus lucida intervalla est denegandum, & in tempore quo infirmus adhùc ratione pollet, & debita in eo cognitio viget, ut admirabiles huius salutiferi Sacramenti effectus valeat suscipere, omniaque alia, quæ in Rituali Romano Pauli V. optimè de hoc Sacramento statuta sunt observari volumus, & si quis ex Parochi opportunè requisiti negligentia, culpa, socordia, & incuria prudentis viri iudicio, gravi, & notabili ex hac vita sinè Sacramento Pœnitentiæ, Eucharistiæ, & extremæ Unctionis, & absque animæ commendatione decesserit, suspensionis pœnam idem Parochus ipso facto incurrat, aliisque pœnis pro modo culpæ arbitrio nostro punietur.

TITULUS XI.
DE SACRAMENTO ORDINIS.

CAPUT I.

AD Excelsam, atque in aula militantis Ecclesię quacumq; alia præstantiorem Sacramenti Ordinis dignitatem pervenire cupientes, videant ne inanis gloriæ cupidine illecti, aut beneficiorum pinguedine inducti onus ipsismet Angelicis humeris grave, ac metuendum suscipere audeant; Oportet enim Sacerdotes nulla insigni, immò, vel levissima nota reprehensibiles pro tanti honoris, & oneris merito, & multa scientia pręditos esse, & summa vitæ integritate spectabiles, ut qui incensum, & panes offerunt Deo, Sancti sint Deo suo.

CAPUT II.

QUemadmodum ille, qui mittit manum ad aratrum, & respicit retrò non est aptus Regno Dei, ita Clerici in sortem Domini vocati, si abdicato seculi fastu vanitatibus, illicitisque huius mundi voluptatibus se immiscuerint, ad maiores ordines nunquam adspirare præsumant, itaque ad minores ordines non promoveantur, nisi priùs bonum, & integrum testimonium habeant à Parocho, & à Magistro scholæ ubi educantur, & degentes in Civitate, etiam à Superiore Congregationis S. Salvatoris (à quo, & ab eo deputatis volumus per annum ante edoceri, & instrui in iis, quę ad statum Ecclesiasticum ritè, & laudabilitèr exercendum exiguntur) de eorum natalibus, ætate, moribus, & vita, & literas testimoniales omni integritate, ac fidelitate ab ipsis munitas Cancellario nostrę Curiæ Archiepiscopalis per mensem ante Ordinationem consignent, & qui negligens fuerit in dicta inquisitione facienda, sciat se gravissimæ culpæ esse obnoxium, si minus idoneus ad Ordines promoveri contigerit.

CA-

CAPUT III.

QUi verò ad maiores Ordines aſcendere cupiunt, præter ſupradicta requiſita docere debent ſe eſſe benè inſtructos in exercitio Ordinum minorum antea ſuſceptorum, Officium Divinum callère, & exempla bonorum operum omnibus præbuiſſe, & vitam ab omni labe impuritatis immunem ſemper duxiſſe, itaut tamquam optimi operarii in vinea Domini inſerere valeant mentibus hominum præcepta, & monita, quæ ad ſalutem, & gloriam æternam conſequendam ſunt neceſſaria.

CAPUT IV.

ITem oſtendere teneantur eidem Cancellario noſtræ Curiæ ſe pacificè poſſidere beneficium Eccleſiaſticum annui redditus scutorum quinquaginta, vel ſaltèm habere patrimonium proprium ab omni ære alieno, atque ipotheca liberum, nulloque fideicommiſſi vinculo obnoxium, eiuſdem annui redditus ſcutorum quinquaginta, quæ omnia abſque noſtra licentia, & facultate dimittere, cedere, relaxare, vendere, & alienare nullatenus valeant ſub pœna excomunicationis ipſo iure nobis reſervatæ incurrendæ.

CAPUT V.

SI quis autem ficto, & ementito patrimonio ordinem Subdiaconatus ſuſceperit, eo ipſo ſuſpenſionem à Divinis incurrat, & ſeculares tale patrimonium confingentes, & conficientes excomunicationis ſententia Nobis pariter reſervata ipſo facto innodati exiſtant, aliiſque pœnis à Concilio Tridentino, & à Prædeceſſoribus noſtris, & à Nobis alias decretis, & innovatis.

CAPUT VI.

UT autem occurratur audacię, & impudentiæ illorum, qui ſtatim ut à laicali ſtatu ad Eccleſiaſticum ſunt tranſlati inſtant, & petunt Ordinibus inſigniri, ſtatutum eſt à SS. D. Noſtro Innocentio XII. in ſua Conſtitutione edita de anno 1694. pridiè

Nonas Novembris, ut ij tantùm promoveantur, qui poſt mutatum habitum ſæcularem diuturna converſatione inter Clericos fuerint comprobati, & multo tempore didicerint, quæ poſtmodum alios docere teneantur.

CAPUT VII.

PAriter in eadem Conſtitutione conſultum eſt, quod Clericus, qui iam à proprio Epiſcopo legitimè ad clericalem tonſuram, vel ad minores ordines promotus fuerit, non poſſit ab alio Epiſcopo ratione, ac titulo cuiuſcumque beneficii in illius Diæceſi obtenti ad ulteriores ordines promoveri, niſi ante eorumdem ſuſceptionem teſtimoniales literas proprii Epiſcopi, tam originis, quam domicilii ſuper ſuis natalibus, vita & moribus ſibi concedi obtinuerit, eaſque Epiſcopo ordinanti in actis illius Curiæ ſervandas exhibuerit.

CAPUT VIII.

ET Clericus quamvis ratione cuiuslibet beneficii in aliena Diæceſi obtenti ſubiici dicatur Juriſditioni illius Epiſcopi, in cuius Diæceſi beneficium huiuſmodi ſitum eſt, tamen eadem Conſtitutio præcipit eam de cętero abs re inconcuſſe ſervari regulam, ut nemo eiuſmodi ſubiectionem, ad effectum ſuſcipiendi ordines acquirere cenſeatur, niſi beneficium prædictum eius ſit redditus, ut ad congruam vitæ ſubſtentationem, ſive iuxta taxam Synodalem, ſive ea deficiente iuxta morem regionis promovendis ad Sacros ordines detractis oneribus per ſe ſufficiat, illudque ab ordinando pacificè poſſideatur, ſublata quacumque facultate ſupplendi, quod deficeret fructibus eiuſdem beneficii, cum adiectione patrimonii etiam pinguis, quod ipſe ordinandus ſe in eadem, ſeù alia quavis Diæceſi obtineret; & qui ſecus fecerit obnoxium eſſe pœnis in dicta Conſtitutione comminatis, quæ quidem Conſtitutiò, ut omnibus innoteſcat, hìc inſerendam præcipimus, cuius tenor eſt, videlicet.

SAN-

SS. D.N. D.INNOCENTII DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ XII.

Constitutio, qua plura declarantur, ac præscribuntur pro tollendis abusibus, et fraudibus circà Ordinationes alienorum Subditorum.

INNOCENTIUS

EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

SPeculatores Domus Israel, quæ est Sancta Dei Ecclesia, per ineffabilem Divinæ Bonitatis abundantiam constituti, eò potissimum ab ipsis Pontificatus Nostri primordiis Pastoralis vigilantiæ nostræ studia convertenda esse duximus, ut qui in sortem Domini vocantur, sacrisq; addicuntur ministeriis, quippè quos irreprehensibiles esse convenit, ut præesse valeant corrigendis, ac in quos tanquam in speculum reliqui oculos conijciunt, ex iisque sumunt quod imitentur, tales sint, qui dignè possint Dominica Sacramenta tractare, ac ædificent cunctos tàm fidei scientia, quàm operum disciplina. Sanè hoc inito consilio, non alios, quantum fieri potest, quam qui in sanctitate, & iustitia per ordinatissimos Ecclesiasticæ Militiæ gradus statis intervallis ambulaverint, ac piè, & fidelitèr in ministeriis anteactis se gesserint, ad Sacerdotium aßumi, sacrasque Ordinationes, iuxtà priscũ Ecclesiæ morem, præscriptis à iure temporibus orationi, & ieiunio consecratis, haberi cupientes, severiorem quamdam in concedendis Indultis suscipiendi sacros Ordines extrà tempora huiusmodi, et interstitiis ad id designatis minimè servatis, ultrò Nobis proposuimus adhibendam rationem; qua videlicèt servata, ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ Sacerdotalis honor non probatis minimè tribuatur, nec unquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri prophani, hodie sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, discipuli simùl, ac magistri pietatis creentur; sed ii tantùm, iuxtà constitutas à Maioribus Leges, ab humili gradu fidelis Populi ad

sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint quæ postmodùm alios docere teneantur; Cæterum per ea ipsa Indulta, quæ super premissis parciùs quidem, ac ex certis tantùm, & magis rationabilibus causis concedere decrevimus, contraria quavis illorum interpretatione penitùs improbata, salutarem illam, quam sacri Generalis Tridentini Concilii Decreta de non ordinandis ad patrimonii titulum nisi illis, quos Episcopi pro necessitate, vel commoditate suarum Ecclesiarum assumendos iudicaverint, præscribunt disciplinam, nequaquam relaxatam intelligi; quinimò nec unquam ad Indulta huiusmodi exequenda Episcopos ipsos arctare, sed illorum executionem arbitrio semper eorumdem Episcoporum, quorum conscientias hac in re strictissimè oneratas voluimus, prorsus relinquere declaravimus; sperantes in Domino eos, qui, iuxtà Apostoli monitum, nemini citò manus imponendas esse probè norunt, sibi, & universo gregi attendentes, in quo eos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei, reverenda ipsis spiritibus Angelicis ministeria ab hominibus sine consideratione apprehendi nunquam permissuros, nec temerè præripi passuros, quæ vita probata dumtaxat accipere promeretur. Omnes insuper, & singulos cuiuscumque tandèm gradus, ordinis, & dignitatis fuerint, quibus ex huius Sanctæ Sedis gratia sacros Ordines præfatos extrà eadem tempora conferendi, vel aliis, ut illos sic conferre valeant, indulgendi potestas fieri consuevit, cum divinos Ordines largiri districti semper esse iudicii oporteat, seriò monitos voluimus, ut præscriptos sibi desuper in suis quique facultatibus terminos religiosè custodiant, nec eos cuiusvis consuetudinis, aut exempli prætextu ullatenùs transgrediantur. Verùm quo impensius Apostolicæ gubernationis curam, & cogitationes in hæc intendimus, eò maiori cum animi nostri dolore ex quampluriumVenerabilium Fratrum nostrorum Archiepiscoporum, & Episcoporum in diversis Regionibus existentium delatis ad Nos querelis accepimus, graviora quotidiè malignari inimicum in Sancto, sacrilega scilicèt illorum impudentia in dies crescente, qui propriæ salutis immemores, Clericales Ordines sibi forsàn à propriis Præsulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari meritò verentur, ab alienis Episcopis, non quæ JESV CHRISTI, sed eas, quæ ad ipsos non pertinent Oves, in animarum suarum perniciem quærentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienæ plebis hominem latas perhorrescentibus, absque suorum Prælatorum commeatu, hoc est dimissoriis,

com-

commendatitiisve eorum literis destituti, quinimò eis insciis, & sæpè etiam invitis, sub minus legitimis Beneficii Ecclesiastici, Originis, Domicilii, seu etiam familiaritatis, ac continuæ Ordinantium Episcoporum commensalitatis quæsitis titulis, in sacrarum legum fraudem, & contemptum, illegitimè suscipiunt, atque ita non intrantes per ostium, & nihilominus Tabernaculum Dominicum macula inhabitare non dubitantes, sacrificium in sacrilegium convertunt, iudicium absque misericordia sibi conciscunt, Deoque minimè placentes, et tamen placare velle præsumentes, non modò eum non placant, sed magis irritant, dum videntur in cordibus suis dicere: non requiret. Hinc est quod Nos ex commissæ Nobis divinitùs Apostolicæ servitutis munere, abusus, fraudes, ac scandala huiusmodi penitùs, & omninò è medio tollere, ac irreligiosam contrafacientium audaciam, quantùm Nobis ex alto conceditur, compescere, & reprimere volentes, nec non fel. rec. Vrbani VIII. contra malè ordinantes, & malè ordinatos, quæ incipit: Secretis, aliorumq; Romanorum Pontificum Prædecessorum nostrorum, ac etiam Conciliaribus hac in re editis Constitutionibus, et Ordinationibus inhærentes, illasq; quoad ea, quæ præsentibus non adversantur, quatenùs opus sit, innovantes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium eiusdem Concilii Tridentini interpretum, qui quæcumque ante hac super præmissis ab ipsorum Cardinalium Congregatione in particularibus casibus edita decreta, declarationes, seu responsa ad earumdem præsentium limites reducenda esse censuerunt, consilio, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolicæ potestatis plenitudine, ad Omnipotentis DEI Gloriam, Ecclesiæ utilitatem, veteris disciplinæ instaurationem, totiusque Christiani Populi ædificationem. Hac generali nostra, & perpetuò valitura Constitutione, decernimus, & declaramus, nulli Episcopo, seu cuiusvis loci Ordinario, tametsi Cardinalatus honore fulgeat, licet exterum quempiam, ac sibi ratione Originis, seù Domicilij, iuxta modum inferius declarandum, legitimè contracti non subditum ad Clericalem tonsuram promovere, cuiusvis Beneficii Ecclesiastici ei statim, ac tonsura huiusmodi insignitus fuerit conferendi, seù ad quod is à Patronis iam præsentatus, seu nominatus fuerit, prætextu, etiamsi Beneficium prædictum de novo ea expressè adiecta lege fundatum fuisse constiterit, ut quis immediatè post Clericalem charactèrem susceptum ad illud instituatur; Præterea Clericum, qui legittimè iam à proprio Episcopo ad eamdem Clericalem tonsuram, seù etiam ad minores Ordines promotus fuerit, non posse ab alio Episcopo ratione,

tione, ac titulo cuiuscumque Beneficii in illius Diœcesi obtenti ad ulteriores Ordines promoveri, nisi ante eorumdem susceptionem Testimoniales literas proprii Episcopi tàm Originis, quàm Domicilii super suis Natalibus, ætate, moribus, & vita sibi concedi obtinuerit, easq; Episcopo Ordinanti in actis illius Curiæ conservandas exhibuerit. Licet verò Clericus ratione cuiusvis Beneficii in aliena Diœcesi obtenti subiici dicatur Jurisdictioni illius Episcopi, in cuius Diœcesi beneficium huiusmodi situm est, eam tamen de cætero hac in re inconcussè servari volumus Regulam, ut nemo eiusmodi subiectionem ad effectum suscipiendi Ordines acquirere censeatur, nisi Beneficium prædictum eius sit redditus, ut ad congruam vitæ sustentationem, sivè iuxtà Taxam Synodalem, sivè ea deficiente, iuxtà morem Regionis promovendis ad Sacros Ordines, detractis oneribus, per se sufficiat, illudque ab Ordinando pacificè possideatur, sublata quacumque facultate supplendi quod deficeret fructibus eiusdem Beneficii cum adiectione Patrimonii etiam pinguis, quod ipse Ordinandus in eadem, seù alia quavis Diœcesi obtineret; ac Episcopus sic Ordinans tam de prædictis Testimonialibus Literis, quam de redditu Beneficii huiusmodi expressam in consueta collatorum Ordinum attestatione mentionem facere debebit. Cæterùm Subditus ratione Originis is tantùm sit, ac esse intelligatur, qui naturaliter ortus est in ea Diœcesi, in qua ad Ordines promoveri desiderat, dummodò tamen ibi natus non fuerit ex accidenti, occasione nimirùm itineris, Officii, Legationis, Mercaturæ, vel cuiusvis alterius temporalis moræ, seu permanentiæ eius Patris in illo loco, quo casu nullatenùs eiusmodi fortuita nativitas, sed vera tantùm, & naturalis Patris origo erit attendenda. Quod si quis tanto temporis spatio in eo loco, in quo ex accidenti, sicut præmittitur, natus est, moram traxerit, ut potuerit ibidem canonico aliquo impedimento irretiri, tunc etiam ab Ordinario eius loci literas Testimoniales, ut supra, obtinere, illasque Episcopo Ordinanti per eum in collatorum Ordinum Testimonio similiter recensendas præsentare teneatur. At si Pater in alieno loco, ubi eius filius natus est, tamdiù, ac eo animo permanserit, ut inibi verè Domicilium de Jure contraxerit; tunc non origo Patris, sed Domicilium per Patrem legitimè, ut præfertur, contractum pro Ordinatione eiusdem filii attendi debeat. Subditus autem ratione Domicilii ad effectum suscipiendi Ordines is dumtaxat censeatur, qui, licet alibi natus fuerit, illud tamèn adeò stabilitèr constituerit in aliquo loco, ut vel per decennium saltèm in eo habitando, vel maiorem rerum, ac bonorum suorum partem cum instructis Ædibus in locum hu-

iusmo-

iusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod considerabile tempus commorando, satis superque suum perpetuò ibidem permanendi animum demonstraverit; & nihilominus ulterius utroque casu se verè, & realitèr animum huiusmodi habere iureiurando affirmet. Si quis tamen à propriæ originis loco in ea ætate discesserit, qua potuerit alicui canonico impedimento obnoxius effici, etiam Ordinarii suæ originis testimoniales literas, ut supra, afferre debebit, ac de illis expreßa similiter mentio in susceptorum Ordinum Literis facienda erit. Ad hæc nullus Episcopus alienæ Diœcesis subditum familiarem suum ad aliquos Sacros, seù Minores Ordines, vel etiam primam tonsuram promovere, seù ordinare præsumat absque eius proprii originis scilicèt, seù Domicilii Prælati Testimonialibus literis, ut supra, & nisi ad præscriptum Concilii Tridentini præfati seß. xxiii. cap. ix. De reform. Familiarem predictum per integrum, & completum triennium in suo actuali servitio secum retinuerit, ac suis sumptibus aluerit; Beneficium insuper, quod ei ad vitam sustentandam, iuxtà modum superiùs præfinitum, sufficiat, quacumque fraude cessante, statim, hoc est saltem intra terminum unius mensis à die factę ordinationis, re ipsa illi conferat, ac in Ordinationis huiusmodi Testimonio expressum itidem familiaritatis, ac literarum prędictarum mentionem facere teneatur. Porrò, ut quicumque fraudibus aditus omninò præcludatur, volumus, & Apostolica Authoritate statuimus, atque decernimus, ut Episcopus quilibet suos ratione originis, sivè Domicilii Subditos Clericos quoscumque ab alienis Episcopis quavis authoritate, etiam cum suis commendatitiis literis promotos, nedum ad formam Concilii Tridentini supradicti sess. xiv. cap. iii. De Reformat. quoad scientiam examinare valeat, verùm etiam Ordinum eis collatorum testimoniales literas, gratis tamen, recognoscere, ac diligentèr perquirere, an quoad illos pręsentis Constitutionis forma, & dispositio adimpleta fuerit, assignato sic promotis termino competenti ei magis benevisto ad docendum de eiusmodi adimplemento, ita ut quos eo termino elapso id minimè pręstitiße compererit, à Susceptorum Ordinum exercitio, si ita, & quamdiu ei expedire videbitur suspendere, illisq;, ne in Altari, aut in aliquo Ordine ministrent, intercedere possit. Ita verò premißa omnia, & singula perpetuò, ac inviolabilitèr observari, atque adimpleri volumus, ut si quid in iisdem premissis, seu eorum aliquo secus fiat, Ordinans quidem à Collatione Ordinum per annum, Ordinatus verò à susceptorum Ordinum executione, quamdiù proprio Ordinario videbitur expedire, eo ipso suspensus sit, aliisq; insuper gravioribus pœ-

nis pro modo culpæ nostro, & pro tempore existentis Romani Pontificis arbitrio infligen is uterque subiaceat. Decernentes paritèr easdem præsentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ob illis, ad quos spectat, & pro tempore quandocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissimè, & inviolabiliter observari. Sicque, & non aliter per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatij Apostolici Auditores, ac eiusdem S. R. E. Cardinales etiam de latere Legatos, ac Sedis præfatæ Nuncios, aliosve quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublata eis, & eorum cuilibet quavis alitèr iudicandi, & interpretandi facultate, & authoritate, ubique iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis authoritate scienter, vel ignorantèr contigerit attentari. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quibusvis etiam Iuramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis Statutis, & Consuetudinibus; Privilegijs quoque, Indultis, & literis Apostolicis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatorijs, aliisque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam motu, scientia, & potestatis plenitudine paribus in genere, vel in specie, seù alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seù quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, ac si de verbo ad verbum exprimerentur, & insererentur, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, eisdem præsentibus pro expressis, & insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxàt specialitèr, & expressè derogamus; cœterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, ut præsentes Literæ in Valvis Ecclesiæ Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostolorum, necnon Cancellariæ Apostolicæ, ac in Acie Campi Floræ de Urbe, ut moris est, publicentur, & affigantur, sicque publicatæ, & affixæ, omnes, & singulos, quos illæ concernunt, perindè arctent, & afficiant, ac si unicuique eorum nominatim, & personaliter intimatæ fuissent; Quodque earumdem præsentium transumptis, seù exemplis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eadem prorsùs fides, tam in Iudicio, quam extra illud, ubique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergò omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum Decretorum, Declarationis, Voluntatis, Statuti, & Derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Da-

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Pridie Nonas Novembris, Pontificatus Nostri Anno Quarto.

B. Card. Prodatarius.

I. F. Card. Albanus.

Visa de Curia J. Sacripantes.

D. Ciampinus.

Loco ✠ Plumbi.

Registrata in Secretaria Brevium.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo nonagesimo quarto, Indictione secunda, die sexta mensis Novembris, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini INNOCENTII Divina Providentia Papæ XII. Anno Quarto, Supradictæ Literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad valvas Ecclesiæ S. Jo. Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in alijs locis solitis, & consuetis Urbis, per me Thomam Orlandum eiusdem Sanctissimi D. N. Papæ Cursorem.

Franciscus Antonius Simoncellus Mag. Curs.

CAPUT IX.

NE Clericus uti valeat ad libitum indultis à iure statutis suscipiendi ordines extrà tempora Consultum est à Sac. Congregatione EE. & RR. S. R. E. Card. à SS. D. N. Innocentio XII. specialitèr deputata, à qua emanata fuere aliqua Decreta ut discerni possit, quando talia indulta non sint concedenda, & è contrà in quibus casibus impetrari permittantur, & ut eadem Decreta cunctis patefiant inferius apponenda censuimus.

DECRETA

Congregationis à SS. D. N. specialitèr deputatæ super moderatione Indultorum suscipiendi Ordines extrà Tempora à Jure statuta.

SAnctissimus Dominus Noster INNOCENTIUS *Papa* XII. *pro pastorali suo in commissum sibi Gregem Dominicum zelo, ac tuendæ Disciplinæ Ecclesiasticæ studio prospicere volens, ne Indulta suscipiendi extra Tempora à Jure statuta Ordines nimis facilè concedantur, Congregationi particulari EE. DD. Cardinalium Carpinei, Casanatis, Marescotti, Colloredi, Panciatici, & Albani, necnon Illustrissimorum DD. Sperelli, Ciampini, Sacripantis, meique Secretarii infrascripti specialitèr deputatæ expendendas commisit Causas, ex quibus præfata Indulta tribui solent, ut Sanctitati Suæ referri posset, quæ ratio deinceps ineunda, modusque adhibendus videretur in concessione similium Indultorum.*

Quæ quidem Congregatio in ædibus præfati Eminentissimi Carpinei die 10. *Novembris, atque iterum* 7. *Decembris Anni currentis habita, re maturè discussa, censuit Indulta huiusmodi, si Sanctissimo placuerit, concedi posse ex Causis infrascriptis, videlicèt:*

Ut quis Beneficio, vi cuius arctatur ad Presbyteralem Ordinem suscipiendum, vel alteri etiam perpetuo Beneficio, quod obtinet, vel Capellaniæ ad vitam sibi concessæ per seipsum inservire possit. Ob penuriam Sacerdotum in illis Partibus, vel in Monasterio pro Regularibus. Ob solatium Patris, vel Matris, dummodò quinquaginta ætatis annos excedant, & Orator saltem per triennium in Cleri-

cali

cali habitu honestè, & laudabilitèr vixerit. Item concedi posse censuit eadem Indulta Referendariis utriusq; Signaturæ, Familiaribus Summi Pontificis, Canonicis Cathedralis, vel etiam Collegiatæ Ecclesiæ, eorumque Coadiutoribus, Magistris, seù etiam Baccalaureis in Sacra Theologia: Doctoribus utriusque, vel saltèm Canonici Juris, seù Licentiatis, dummodo singulos præfatos Gradus in publica, & approbata Universitate obtinuerint; Iis etiam, qui saltèm per triennium sedulam Theologiæ studiis operam navaverint, ac tandem vigesimum sextum ætatis annum excedentibus, si per triennium in clericali habitu honestè, & laudabilitèr vixerint.

E' contra censuit non expedire, ut eadem Indulta concedantur ex eo, quod quis Diaconus, Subdiaconus, Literarum Apostolicarum Scriptor sit, seù Magister in Artibus, Nobilis, aut Præsens in Curia, vel quod Phylosophiæ cursum absolverit, aut alicui Ecclesiæ adscriptus fuerit, ad cuius servitii titulum ex Apostolico Indulto Clerici ordinari possunt, aut Onus Missarum, non tamen ex Beneficio Ecclesiastico provenientes, habere se doceat.

Insuper censuit Indulta huiusmodi deneganda esse iis, qui aliqua Dispensatione indigent impedimenti ex eorum delicto provenientis, & Sede Episcopali vacante infrà annum à die vacationis minimè danda iis, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, seù recipiendi occasione arctati non fuerint.

Item nunquam concedenda pro Festivis Diebus continuis, sed semper pro interpolatis aliquo temporis spatio arbitrio Episcopi definiendo.

Denique censuit Episcopos omnes, ac etiam Apostolicos Nuncios, & Legatos literis in forma Brevis circularibus admonendos, decrevisse Sanctitatem Suam Indulta prædicta non ita passim, sed ex certis tantùm, legitimisque causis concedere, nec Episcopos ad eorum exequutionem astringere, sed illam semper ipsorum arbitrio, onerata eorumdem conscientia, relinquere. Item per eadem Indulta licentiam non tribui promovendi quempiam ad Patrimonii titulum, nisi ad normam Concilii Tridentini Sess. 21. cap. 2. Eos verò omnes, qui ab Apostolica Sede facultates obtinent conferendi Ordines extrà Tempora, vel aliis respectivè tribuendi licentiam, ut conferant, maximè cavere debere, ne præscriptos, sibi in iisdem facultatibus limites cuiusvis consuetudinis, aut exempli prætextu transgrediantur.

Hac autem omnia, & singula suprascripta Decreta, audita ex me integra eorum relatione, Sanctissimus Dominus Noster laudavit, & approbavit, ac tàm in Dataria, & Secretaria Brevium, quàm à cæteris omnibus Ministris, & Officialibus Curiæ, ad quos pertinet, perpetuò, & inviolabiliter servari mandavit, sublata omnibus quacumque facultate prædicta Indulta aliter, quàm ad formam eorumdem Decretorum in posterùm expediendi. Hac die 14. Decembris 1693.

Carolus Augustinus Fabronus Secr.

CA-

CAPUT X.

NUllus itaque Clericus initiandus ordine Subdiaconatus valeat imposterum promoveri ad titulum officiaturæ quamvis perpetuæ etiam si exhiberet fideiussorem idoneum, qui se obligaret in forma valida ad illi subministrandum alimenta necessaria in casu ægritudinis, carceris, vel alterius cuiuslibet impedimenti, quia cum tali assignatione existimavimus non esse bene, & congruentèr consultum Clerico Sacris Ordinibus decorato, cum licitum sit asserere, ut non habeat sic promotus unde vivere possit, quemadmodum requirit Sac. Conc. Trid. sess. 21. cap. 2. de reformatione.

TITULUS XII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

CAPUT I.

HOnorabile nuptiarum Fædus à summo rerum omnium Conditore in ipsismet nascentis mundi primordiis institutum. Quodque in Christo, & Ecclesia magnum Sacramentum, Paulus ait, peculiari honore prosequentes exemplo Christi Domini, qui nuptias, & sua præsentia, & miraculo censuit illustrandas, ut in ipsis (quarum Castitas Deo, & hominibus accepta est) non solum quod liceat, sed & quod honestum sit semper consideretur, infrascripta putavimus ordinanda.

CAPUT II.

ET primò statuimus Parochum, vel alium Sacerdotem ex illius mandato adsistentem matrimonio debere esse solertem in indagando an matrimonia liberè fiant, & sine metu, minis, terro-

terroribus, atque violentiis contrahantur, quià si sponsi directè, vel indirectè cogantur inviti ad contrahendas, vel ad non contrahendas nuptias, tunc Parochus teneatur notum facere parentibus, consanguineis, affinibus, aliisque personis cuiuscumque dignitatis, conditionis, & qualitatis existentibus huiusmodi facinus patrantibus se duplici anathematis pœna ipso facto, & Nostra, & à Concilio Tridentino indicta ligatos esse, Parochumq; dictam inquisitionem facere omittentem munus suum non explevisse, & propterea arbitrio nostro esse plectendum.

CAPUT III.

AD omninò tollendum, & penitùs eliminandum à nostra Civitate, & Diœcesi detestabile, ac sacrilegum vitium Poligamiæ, quod fundamentum, & originem ducit à falsitate testium fictè, fraudolentèrque deponentium aliquem esse positum, & constitutum in statu libero, & perfecta potiri libertate, quandò ille verè, & realitèr iam matrimoniali vinculo est ligatus, & obnoxius; omni strictiori modo præcipimus, & iubemus Notario Actuario nostræ Curiæ Archiepiscopalis à Nobis ad hoc munus peragendum specialitèr deputato, ut omnem adhibeat diligentiam, & recognoscat, an testes à Partibus inducti sint bonæ, & integræ famæ, & conditionis, ac optimis moribus exornati, notique sint ipsimet Notario Actuario, & in examine dictorum Testium adamussìm, & inviolabilitèr observetur instructio edita, & alias transmissa à Sac. Congregatione Supremi Tribunalis S. Officii Urbis; quæ est inserta in Synodalibus Constitutionibus Anni 1681. ad quam relatio habeatur, ac si esset hìc apposita.

CAPUT IV.

CUm experientia compertum sit multos litium anfractus quotidie excitari à socordia, & negligentia Parochorum, qui in describendis matrimoniis, baptizatis, & defunctis non utuntur forma, & ritibus aliàs præscriptis, & præordinatis. Illis ergò enixè præcipimus, & mandamus, ut retineant libros baptizatorum, matrimoniorum, & defunctorum, & quandocumque contigerit aliquem esse baptizandum, vel vinculo matrimonii ligan-

gan-

gandum, vel aliquem esse defunctum in eodem libro describi curent, nedùm se ipsum, & testes in matrimonio adhibitos, sed etiam nomen coniunctorum in matrimonio, baptizatorum, & defunctorum, & patris, & avi ipsorum respectivè, ita ut in attestatione quam tenentur exhibere exposcentibus adsint ista tria nomina recipientis baptismum illius patris, & avi, & sic de ceteris supra enarratis, & si dictus Parochus contempserit talem modum exercere, & contumax repertus fuerit, in pœnam scutorum decem, piis locis applicandorum multandum, aliisque pœnis arbitrariis infligendum esse duximus.

CAPUT V.

Licèt in Nostra preterita Synodo prohibitum fuerit, ne Sponsi ante contractum matrimonium in facie Ecclesiæ cohabitent in eadem domo, non satis tamèn provisum est ad removendum hunc detestabilem abusum, quem adhuc perseverare intendimus; Ideò in re tanti momenti peculiari modo huic malo occurrere volentes, præcipimus ut sponsi nullatenùs audeant commorari sub eodem tecto sub pœna utrisque Sponsis, eorumque respectivè parentibus, scilicèt divitibus scutorum viginti quinque, aliisque inferioris conditionis scutorum quatuor applicandorum pro medietate accusatori, & pro alia medietate pauperibus Parochiæ, in qua iidem Sponsi cohabitant.

TITULUS XIII.

DE CELEBRATIONE MISSARUM.

CAPUT I.

EA est Christianæ Religionis perfectio, ea sublimitas, ut omnium præstantissima, alias omnes veriùs obscuret, quàm solastrorum princeps minora sydera. Et undè nam Christianæ Religioni tanta dignitas, tanta maiestas? Sanè, quam maximè ex nobilissima Sacrificii præstantia. Vel ex hoc enim nostra Religio cæteris eminet, quià divinissimum eius Sacrificium quibuscumque aliarum sectarum quin, & ipsius veteris testamenti Sacrificiis citrà comparationem ullam eminet. Etenim non brutæ animantes catholicis in aris immolantur, & Christus Dominus unus, idemque Deus, & Homo Æterno Patri à Sacerdotibus offertur, cum operantur ad aram. Quamobrem cum nihil excelsius incarnato Verbo sit, & ratione ipsius actio ipsa sacrificandi omnes humanas actiones excedat, etiam actus Sanctorum in Cœlis Deum amantium, quanto studio cavere debent ii, quibus Sacerdotii apicem attingere, & rem divinam peragere contigit, ne eorum irreverentia, & indevotione tantæ rei oblationem dehonestent. Ut igitur incruentam ostiam divinę maiestati, ea qua par est veneratione Sacerdotes immolent, capita quædam iis exhibemus, quæ quivis in se corrigere, quid effugere, quid tenere debeat, ostendunt.

CAPUT II.

QUoniam Sacerdos divinæ rei dans operam, Christi personam gerit, & ob id Angelis, est aliqua ratione præstantior, moribus Angelo dignis, tàm sacrum, tàm sublime munus pro dignitate semper obeat, Confessione Sacramentali sordes animi, si quas habet, & potissimum lethales (quod absit) eluat, ne sibi manducet, & bibat iudicium, præparatio missam præeat, subsequa-

quatur gratiarum actio, & utrumque præstet Sacerdos, pia quadam, sivè mentis, sivè vocis oratione, sacris indutus vestibus aram adeat maturo incessu, & ad modestiam, pietatemque composito, sillabas ad unam omnes exprimat, & accuratè, emendatèque, quæ clara, quæ submissa voce dicenda pronunciet, aureæ mediocritatis amans, nimiæ brevitatis, aut prolixitatis extrema caveat, ne si fuerit plus æquo brevior scandalum, plus æquo longior tędium esset iis, qui sacrificio intersunt. Serio denique contempletur se in opere divinissimo spectaculum esse Deo, Angelis, & hominibus; Quare nihil omninò agat, quod non attentionem, reverentiam, & devotionem spiret, quod si tanta in re negligentiæ reus fuerit maledictioni divinæ fiet procul dubio obnoxius.

CAPUT III.

ET quamquam interior innocentia quavis præparatione potior, præparatio ea sit nuptialis vestis, quam à Sacerdote quovis exigit mensa cælestis, cui sacrificando frequens accumbit, tamen in viro Sacris initiato, & ad aram operante exterior quædam interiori respondens inculpatæ vitę compositio necessaria requiritur, ne ulla, vel minima in re violetur Sacerdotii gravitas, & ministerium adeò divinum vituperetur, totius probitatis, & honestæ vitæ exemplar esse debet Sacerdos, nihil in illo terrenum, nihil commune cum populo, angelica conversatio, vita divina, mores illibati, & qui nulla ratione seculi vanitatem redoleat. Quo circa Sacerdos divinam rem facturus sacras vestes, sine veste talari non audeat induere, coma fictitia penitùs abstineat, abstineat, & annulo; Qui secùs fecerit nisi dignitas, aut aliquod peculiare privilegium excuset, eas quæ in præterita Nostra prima Synodo recensentur pœnas dabit, aliisque severioribus arbitrio nostro transgressoribus inferendis.

CAPUT IV.

SI Sancta quæque sanctè tractanda, sine controversia augustissimum hoc Sacrificium summa cum sanctitate peragendum, & quod opus, & sanctiùs, & diviniùs à Christi cultoribus tractari potest, quam hoc, vel angelis ipsis tremendum mysterium? proindè

indè Sacerdos ut, & in se, & in populo reverentiam tanto debitam Sacramento excitet pro viribus adniti debet, ut ceremonias omnes, omnes ritus quibus sapientèr, & exactè Sancta Mater Ecclesia divinitùs edocta, totius sacrificii ordinem, modum, & apparatum præscripsit, & instituit, maiori qua potest veneratione, & proùt tanta res exigit, exequi curet.

CAPUT V.

HInc novi Sacerdotes, quà privatis, quà publicis in aris non ante primas hostias Maiestati divinæ libent, quàm Nobis fideli eorum, qui sunt à sacris hisce ceremoniis deputati testimonio liquidò constet se probè eas addidicisse. Undè Nobis annuentibus sacrificent, & ne quid in ceremoniis peccent, cum Ministro assistente spatio octo, vel decem dierum operentur.

CAPUT VI.

UT in celebratione Missarum gravissimi quidam abusus radicitus evellantur, qui suboriri quandoque consueverunt incuria eorum, qui sacrarijs, vel Sacristijs præsunt, admittunt enìm citra delectum quosvis Sacerdotes ad aram, quare quemadmodum nostri muneris cura, & vigilantia exigit, & literæ à Sac. Congregatione S. Officij, quæ inferiùs inserentur nos urgent, ut ijs omni conatu obviam eamus incommodis, eos omnes ad quos spectat monemus, & si suis desint partibus ijs minamur, ne peregrinos Sacerdotes, & alienæ Diœcesis ullo pacto sacrificare patiantur, nisi non modò testimoniales ordinarij sui literas, & nostra approbatione firmatas, nec non insupèr pro Sacerdotibus alienæ Diœcesis hic Florentiæ demorari cupientibus, testimonium alicuius, vel à Nobis ipsis, & à Vicario Nostro generali deputati exhibuerint, quòd missæ ceremoniæ absque errore exercent, & rubricas optimè norint, aliàs qui sacrificare absque supradictis documentis respectivè præsumpserit, suspensioni ipso facto Nobis reservatę, qui vero permittunt, ut sunt Sacristæ, & Sacristiæ præsidentes decem aureorum pœna pijs locis applicandorũ subijacere intendimus.

VEdrà V. S. dal transunto di una Lettera pervenutaci dalla Sacra Congregazione del S. Ufizio, che si pone in piè di questa, gli ordini precisi, che abbiamo di rimediare, che non siano per la nostra Diocesi ammessi Sacerdoti Secolari, ò Regolari Forestieri a celebrare, se prima essi non presentano le lettere Testimoniali del Sacerdozio, ottenute da' proprj Ordinarj, e Superiori, ed in forma, che sieno cognite, e non abbiano ombra, benchè minima, di sospetto d'esser false. Al che volendo Noi come dobbiamo opportunamente ubbidire, facciamo con questa nostra apertamente intendere a V. S., che al ricevere della presente, non solamente ella per se medesima onninamente avverta di non trasgredire a' comandi precisi, che in ordine a detta lettera sopra ciò le diamo, ma faccia anco noto alle Chiese, ed Oratorj tutti di cotesto suo Popolo, e Piviere, ed a chi di quelli tien cura, che senz' ordine espresso di V. S. per quelli, che venissero a questa volta, da darseli in scritto sotto le loro Patenti, e senza la permissione espressa in scritto Nostra, ò del Nostro Vicario Generale per quelli, che di quà partissero, ò fussero passati, non lascino celebrare a' Sacerdoti non cogniti, sì Secolari, come Regolari, ed ella invigili esattamente, che nessuno si prenda arbitrio di contravenire, comminandogli per gli Oratorj l'interdetto ipso facto, e la Carcere per un Mese a quelli, che contro il presente ordine gli ammettessero, ed in sussidio la Scomunica, ed a' Rettori delle Chiese Parrocchiali qualunque elle si siano, e si chiamino, la pena di scudi venticinque da applicarsi a' luoghi Pij, e del Nostro arbitrio, da estendersi sino alla Carcere inclusivè, secondo la qualità della disobbedienza; La qual comminazione similmente facciamo a V. S. per quei casi, che potessero darsi di sua non piena avvertenza, e vigilanza, a tutto che con la presente strettamente le ingiunghiamo. Le parti sue dunque per adesso saranno di avvisare la ricevuta di questa, e l'adempimento delle commissioni, che se le danno, e di conformarsi successivamente agli ordini Nostri consecutivi a quelli della Sacra Congregazione, e le preghiamo per fine dal Cielo ogni più vero bene. Di Firenze 26. Marzo 1692.

Di V. S.

Come Fratello
L'Arcivescovo di Firenze.

Molt'

Molt'Illustre, e Reverendiss. Sig. come Fratello. Se bene altre volte sotto i 20. Febbraio 1649. da questa Sac. Congregazione del S. Ofizio volendosi al possibile ovviare al delitto di coloro, che vanno per l'Italia celebrando Messe, e talora confessando, ancorchè non siano promossi al Sacerdozio, fu con lettera simile di comandamento del Papa ingiunto a tutti gli Ordinarj, l'invigilarvi con opportuni ordini a Vicarj loro Generali, e Foranei: Nondimeno perchè ciò non ostante ora spesso per la trascuraggine, come s'è riconosciuto, de' medesimi Vicarj, e specialmente de' Foranei delle Terre, e de' Castelli fuori di mano, e penuriosi di Sacerdoti, agevolmente si và commettendo sì enorme sacrilegio, non usando essi le dovute diligenze di farsi mostrare, ed esaminare le Dimissorie di coloro, che pretendono di celebrare, i quali talora, ò non le hanno, ò se pure le hanno, sono false; Quindi è, che di nuovo a tal'oggetto di ovviare a questo delitto, la medesima Sacra Congregazione ha stimato espediente d'ingiungere a V. S.; come con questa mia lettera strettamente intende, affinchè dia ordini precisi al suo Vicario Generale, e Foranei, che a' Preti, e Regolari forestieri non concedano licenza di celebrare, se prima essi non presentano le loro lettere Testimoniali del Sacerdozio de' proprj Ordinarj, e Superiori, e quelle siano tali, che non abbiano pur'una minima ombra di sospetto d'esser false, con imporre a' medesimi Vicarj in caso di negligenza, ò trasgressione pene particolari, anche corporali; Sopra di che la Sacra Congregazione attende da V. S. l'avviso dell'esecuzione, insieme con quello d'aver ricevuta la presente, e le auguro felicità. Roma 26. Gennaio 1692.
Di V. S.

Firenze (Monsig. Arcivesc.)

Come Fratello Affezionatiss.
Il Cardinal Cibo.

CAPUT VII.

PRetereà subdimus ne Sacerdos ullus, sivè peregrinus, sivè alterius Diœcesis, sivè etiam nostræ Civitatis, & Diœcesis, Monialium in templis sine nostra licentia, & facultate sacrum peragant, sub pœnis in aliis præcedentibus Synodalibus Constitutionibus comminatis, quas omninò innovamus, & confirmamus, quàm aliis arbitrio nostro imponendis.

TITULUS XIV.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM

CAPUT I.

PAstoralis Nostræ vigilantiæ cura est haud ultima super mores, vitamque Clericorum summa attentione prospicere, nequi aliis dignitatis, atque officii fulgore præsunt per actuum turpitudinem, ac pravitatem opprobrium plebis evadant, & scandalum, Omnes igitùr in Clericali militia degentes, & precipuè ij, qui peculiari divinæ electionis privilegio animarum curam sortiti sunt, videant ne ulli quidem vitio sint affines, spectandum enim omnibus se se exhibet populi rector; Ideoque nihil quod monstrosum sit debet ostendere, sensatus homo (constat ex oraculo) in sapientia manere debet, sicut Sol, qui cum cæteris patet nulla vitiatur nube, eorum vita picturam quamdam debet exprimere, eamdem semper servans imaginem, quam à tam præcellenti gradu accepit.

CAPUT II.

IN Tonsura, & in omni habitu Clerici à laicis discreti esse debent, idcircò illis inhibemus, præsertìm maioribus Ordinibus initiatis dignitate, officio, vel beneficio Ecclesiastico insignitis, cuiuscumque status, dignitatis, aut conditionis existentibus, comam relaxare, barbam nutrire, coronam apparentem in medio capitis, ordini, & statui congruentem negligere sub pœnis aliàs inflictis, & impositis.

CAPUT III.

PAritèr subdictis pœnis, & aliis in præterita Nostra Synodo comminatis præcipimus, & mandamus, Clericos habitum Clericalem continuò deferre tàm domi, quàm extrà domum; qui

in

in Civitate si modò ibi sit domicilium, seù in Castris, & locis insignibus sit talaris, sit etiam undequaque clausus, & nigri coloris, interius indumentum qualecumque sit nunquam appareat, pallium sit tantùm, & tale, quanta, qualisque sit toga, caligæ, & femoralia sint modesti coloris, orbiculi omnes vestiarii laicorum pompam non imitentur, lapides prætiosi tàm globulis, quàm fibulis non inserantur, pileus non sit acuminatus, neque cingulum fibula connectatur; Et quoniam modò fert usus, quod Clerici claudunt desuper togam ligulis armatis, caveant ne aciculæ appareant; anulum non gerant, nisi doctoratu, vel alia dignitate pręfulgeant, quo Clericali decore Illustrati, dum discernuntur à laicis, iis modestiam in omni habitu prædicantes humiliatas sibi animas in Domino gaudebunt, qui secùs fecerit pęnas à Sac. San. Conc. Trid. comminatas non evitabit.

CAPUT IV.

Clerici paritèr discerni debent à laicis iuxtà Sac. Canonum sancita, & à Synodalibus Constitutionibus pluries firmata, à quibus abstinere debeant declaramus. Ad Tabernas, Cauponas, Gręcarios non accedant, nisi ratione itineris, vel Hospitii, vel emendi, ni præter pœnas alias statutas, arbitrii Nostri gravissimis esse velint obnoxii. Abstineant se quoque à publicis conviviis, ludis, spectaculis, & balneis, commercium, & consuetudinem cum personis infamibus, & suspectis, pręsertim fœminis non habeant; de fœminis, quas in ancillas, quibus cum commorari eos permittimus attendenda sunt, quę in Nostra pręterita Synodo statuimus, quę modo sub pœnis ibi expressis volumus confirmata, personati non incedant, nec histrionum, ac ioculatorum spectaculis vacent, nulloque pacto, vel in sacris, vel in prophanis Comediis, vel quibuslibet aliis scenicis ludis, compręhensis etiam comediis, vel actionibus puporum ridiculariorum, vulgò Burattini recitare pręsumant, nullis choreis, vel intersint, vel eas ducant. Qui autem secùs fecerit sciat se incursurum in alias pœnas severiores arbitrio nostro pręter alias in pręterita Synodo inflictas. Evitent etiam otiosorum congressus, & susurrones, ut sanctitatis destructores, & bonorum morum sęvissimos hostes.

CAPUT V.

NEc etiam Clerici secularibus negotiis se immisceant ut prohibitum est in Conciliis generalibus, & in aliis preteritis Synodalibus Constitutionibus, videlicèt ne fiant conductores, procuratores, vel villici bonorum temporalium, & novissimè summâ SS. D. N. Innocentii XII. vigilantiâ, vivæ vocis oraculo hoc interdixit, ut datis literis ad Apostolicum Nuncium, & ab eo ad Nos, quibus earum observantia curanda fuerat demandata transmissis patet, quarum tenorem transcriptum inferiùs inseri curavimus.

JACOP' ANTONIO MORIGIA

PATRIZIO MILANESE

Per la Grazia di Dio, e della Santa Sede Apostolica

ARCIVESCOVO DI FIRENZE.

Alli Ven. Sacerdoti del nostro Clero Fiorentino, e di tutta la nostra Diogesi Salute.

ESsendoci stata partecipata da Monsig. Illustriss. e Reverendiss. Nunzio Apostolico una Lettera Circolare, emanata dalla Sac. Congreg. de' Vescovi per ordine espresso della Santità di Nostro Sig. Papa Innocenzio XII. del seguente tenore, cioè:

Molt' Illustre, e Reverendissimo Monsignore come Fratello.

Tra le più assidue sollecitudini, che occupano la mente zelantissima di Nostro Sig. per il bene spirituale della Chiesa, una si è di conservare, e ravvivare nel suo vero decoro la Santità, e dignità del Sacerdozio;

dozio; Poichè dipendono dagli Officii di quest' Ordine l'instruzione, la correzione, e la santificazione de' Fedeli, conviene ancora, che l'esemplarità della vita, e la gravità de' costumi sia in essi così distinta, e superiore ad ogni altro, che corrisponda alla sublimità del grado, ed al fine della sua instituzione. Quindi è, che con l'oracolo della sua viva voce ha Sua Beatitudine ordinato, che si scriva a tutti i Pastori di Diogesi la presente Lettera Circolare, a fine di eccitare una più esatta vigilanza dell'ordinazioni de' Sacri Concilii Ecumenici, e specialmente di quello di Trento in ordine all' onestà della vita del Clero, e singolarmente in non permettere, ed onninamente impedire, che i Sacerdoti non s' impieghino in Officii servili del Secolo, e de' Laici, e specialmente di Donne, improprij a' Ministri dell' Altare, ed al carattere Sacrosanto, il quale quando venga conferito secondo le disposizioni del Sac. Concilio di Trento, e con l'attual servizio di una Chiesa, cesserà l' occasione di simili scandali, e si toglierà dall' oziosità, e povertà di un numero straordinario, e disapplicato ogni scusa, e compatimento per tollerargli contro i sacri divieti in impieghi abietti, ed indecenti. Doverà VS. comunicare questi sentimenti del Zelo Santissimo di Sua Beatitudine a tutt' i Vescovi di cotesta Nunziatura, e le auguro dal Signore Iddio ogni perfetto bene.

Roma 16. Marzo 1697.

Di VS.

Come Fratello Affezionatissimo
c. G. Card. di Carpegna.

c. M. Arciv. d' Atene Segr

NOI dunque inerendo a' zelantissimi sentimenti della Santità Sua, facciamo nota per mezzo del presente Editto universalmente a tutti la mente Santissima di Sua Beatitudine, ed in augumento di quello abbiamo altra volta insinuato nelle Sinodali, adesso tanto più con vive premure ne incul-

culchiamo a chi occorra il guardarſi, e l'aſtenerſi da quelle coſe, che poſſono pregiudicare alla dignità, e decenza del Sacerdozio, ed alla ſincera, e filiale obbedienza dovuta al Sommo Sacerdote, e Paſtore Univerſale della Chieſa, proteſtandoci che averemo in ciò ogni attenzione, e vigilanza, acciocchè la Santità Sua ſia ubbidita, e venghino oſſervate le diſpoſizioni de' Sacri Canoni, e Concilii a tenore della preinſerta Lettera. E pregando a' medeſimi Sacerdoti copioſe grazie dal Sig. Iddio, per impiegarſi con ogni eſattezza, e col dovuto decoro nel ſuo ſanto ſervizio, impartiamo loro la Noſtra Paſtoral Benedizione. Dat. dal Noſtro Palazzo Arciveſcovale il dì 19. d' Aprile 1697.

IACOPO ANTONIO ARCIVESCOVO.

Lorenzo Borghigiani Cancelliere.

CAPUT VI.

SEd cum tanta hodie inoleverit temeritas, ut propriam dignitatem parvi pendat, & laicorum contemptui turpis lucri cauſa ſe, & religionem exponant, non obſtantibus tot monitis, inhibitionibus, & pœnis, rurſùs vetamus omnibus Clericis Noſtrę Juriſditioni ſubiectis alienas poſſeſſiones conducere, cauſas ſeculares, & laicorum ſubſtantiarum gubernationes ſuſcipere, & tantùm monemus, & in Domino obſecramus ea facere, quæ ad ſuę vocationis ſanctitatem, & dignitatem pertinent; Quod ſi reſipiſcere noluerint intelligant Nos eſſe in eos ut pertinaces, & inobedientes graviſſimis pœnis animadverſuros.

CAPUT VII.

IN Oppidis, ruribus, & locis huius Noſtræ Diœceſis, in quibus ultrà Parochum, alii etiam Sacerdotes habitant ut plurimum pro neceſſitate, & intuitu ſervitii eorum Parochialis Eccleſiæ promoti (quia ut non ſine maximo animi noſtri mœrore audi-

audivimus) forsàn aliquis ex eis proprii status, suæque strictæ obligationis immemor, sibi aliquando licitum faceret in diebus festis, & dum in Ecclesia divina Officia, & Vesperę celebrantur publicè cum laicis in aliquo ludo se immiscent, talique forma, & pessimo exemplo se, & alios avertere à divinorum frequentia, & quod peius est, non nulli forsàn auderent palam etiam caupονas cum laicis intrare in iisdem, vel aliis diebus, ibique commessationibus, & ludis licèt prohibitis publicè intendere non sine maximo piorum scandalo, & admiratione Sacerdotalis quoque habitus dedecore, ac Divinæ Maiestatis offensa.

Cui malo tam execrabili Nos opportunis remediis obviam ire, illorumque proterviam, & nimiam, perniciosamque audaciam eliminare, eosdemque ad rectam, compositam, & exemplarem vitam, proùt decet, & eorum gradus expostulat religiosè custodiendam revocare cupientes, mandamus in primis omnibus executoribus cuiuscumque Curiæ tàm Ecclesiasticæ, quàm sęcularis, ut Sacerdotes huiusmodi (si umquam sic attentare, & talenta eorum gradui incumbentia dilapidare præsumerent) in flagranti crimine compertos appræhendant, & servatis de cætero respectu, & decentia clericalis habitus, & Sacerdotalis caractèris ad Nos ducant pœnam carceris per mensem arbitrio Nostro pro qualitate excessus, & recidivitatis usque ad suspensionem à Divinis augendam subituri, quoad alios etiam Clericos, sivè in sacris, sivè in minoribus constitutos extendimus. His ulteriùs significantes, quod si & postquam fuerint in huiusmodi crimine compræhensi, non sperent ampliùs ulteriùs pro sacris ordinum ministeriis promovèri: Parochis autem, & illis Ecclesiasticis personis, qui in dictis oppidis, & locis Parochi ministerio funguntur sub arbitrii Nostri pœna strictè præcipiendo mandamus, quatenùs & ipsi in resipiscentiam illorum fine mora cooperantes, primo, secundo, & tertio fraterna charitate eos admoneant, & corripiant; His verò minìmè suffragantibus Nobis ipsorum nomina enuncient, ut in illos animadvertere valeamus, proùt Nobis paternus dictabit zelus, ac Pastoralis suggeret sollicitudo, & nihilominùs illos tales Clericos, & Sacerdotes, sic perperam agentes, donèc ab huiusmodi corruptis moribus resipuerint ab omni distributione, & emolumento funeralium, & Officiorum, quæ in Ecclesia fiunt excludant, illisque pretermissis alios de Plebanatu, proùt eis videbitur convocent Sacerdotes.

CA-

CAPUT VIII.

PRæterea non sine gravi animi nostri passione, & dolore audivimus quibusdam in Terris, Oppidis, aliisque locis muratis irrepsisse detestabilem abusum introductum à Sacerdotibus, & Ecclesiasticis personis deferendi, cum magno populi scandalo, & admiratione sudariola collo circumducta, lineasq; calanticas pileo subiectas, & cum illis confluendi etiam ad nundinas, mercatus, & emporia, nec non divagandi, tàm fæstivis, quàm ferialibus diebus per vicos, & plateas, & quod horrendum, & detestandum est non verentur talia ornamenta deferre in Templis, & in Choro cum non levi dedecore status Clericalis, & Ecclesiastici, quibus in locis summoperè Dei ministrorum gravitas æternę Maiestatis decus fidelibus populis pręlucere oportet. Huiusmodi corruptelam, audaciamque è medio tollere volentes inhibemus, & vetamus omnibus Clericis, sivè minoribus, sivè maioribus Ordinibus initiatis quocumque gradu, & dignitate præfulgentibus ubivis, & extrà domum deferre supradicta sudariola collo circumducta, lineasque calanticas, sed Clericali habitu, modestiaq; semper, & ubique ornati incedant, aliàs transgressores pœna scutorum 10. pro una medietate delatori, & pro alia medietate Piis locis applicandorum multandos esse statuimus.

CAPUT IX.

ET quoniam Plebani, & Priores per annum suarum Centuriarum anniversaria celebraturi convenire solent; et propter præcedentias, nedùm Birreto, & super pelliceo, sed etiam almutio, vel batulo uti velle præsumuntur, & propterea non sine laicorum scandalo inter eos discordias, & diffidia intercedere nobis innotuit, sicut etiam ad aures nostras pervenit quosdam Sacerdotes dictarum Congregationum Processionibus audent interesse sine superpelliceo, & Birreto, quod valdè indecorum est, iubemus, & mandamus, ut omnes, tàm in Templis, quàm in Processionibus utantur indiscriminatìm, dumtaxàt Birreto, & superpelliceo, & qui contumax fuerit toties quotiès pœnam scutorum quatuor subibit.

CA-

CAPUT X.

IN peragendis festis funeralibus, & anniversariis, aliisque Officiis in ruralibus Confraternitatibus Laycorum, nullus deinceps audeat convocare Sacerdotes, tàm Seculares, quàm Regulares ad ea concelebranda, nisi priùs obtenta licentia proprii Parochi, intrà cuius limites sita est Confraternitas, ad hoc ut evitentur scandala, & dissidia, ac difficultates quæ in dies suscitari intelliguntur, sub pœnis arbitrio nostro imponendis.

CAPUT XI.

QUæ cetera vitanda, quæve curanda decrevimus in præterita Nostra Synodo, & in aliis Prædecessorum Nostrorum Sanctionibus videant, quæ sub eisdem pœnis confirmamus, quas arbitrio Nostro extendendas relinquimus.

TITULUS XV.

DE ECCLESIIS ET EARUM CULTU ET VENERATIONE.

CAPUT I.

QUanta reverentia, debitaque veneratione, ac religiosissimo obsequio Domum Dei quam decet Sanctitudo, omnique honore prosequi obstricti simus, cum nihil in ea perspiciatur, quod non maximam devotionem, Catholicamque pietatem redoleat, sacræ paginæ digito Dei exaratæ testantur. Hinc benignissimus Redemptor, & Salvator noster Pater amantissimus imbecillitatem naturæ nostræ compatiens, scelestissimos homines semper summa charitate amplexus; illosq; ad pœnitentiam revocare dignatus est. In sacrilegos verò Ecclesiarum

Pro-

Prophanatores, & Contemptores exardescens, facto de funiculis flagello negotiatores propriis manibus eiecit è Templo, ex quo colligi potest, quod Templum Dei Sanctum est, Dei structura est, Dei ędificatio est, & tamen hisce nostris temporibus, proh' dolor, Ecclesiam in plateam, Templum in emporium convertere non veremur. Quarè Apostolus ait: Si quis Templum Dei violaverit, disperdet illum Deus, undè malorum omnium congeries nos miseros facit; præmitque indeficiens; Et quod deterius est flagellati non credimus, magisque ad iracundiam provocatur Deus ante faciem suam, & in Ecclesia constituti, tantorum malorum efficimur rei, ex quo sequitur, quod ultio Domini est si oppressi gemimus, quia ultio Templi sui est.

CAPUT II.

PRopterea hortamur, & obsecramus in Domino Populum curæ nostræ commissum, ut tàm execrabilem, sibiq; perniciosum contemptum à Loco Sancto ni vindicem, ac terribilem Deum habere velit eliminare, ac removère satagat, sedulòque animadvertat, ubi pro delictis suis Deum exorabit, si in eo Terræ angulo à Deo sibi electo peccatorum vota suscepturo magis, magisque peccare non desinat.

CAPUT III.

UNdè admonemur maximâ devotione ad Ecclesiam accedendum, & ab otiosis, & inutilibus verbis penitùs abstinendum, & si quis præsertìm dum Divina celebrantur Officia, & Concio habetur, in Templo deambulare, nugas facere, negotiis secularibus incumbere, Altaribus adhęrere, terga ad Sanctissimũ Eucharistiæ Sacramentum vertere, irreverentèr negotiari, impudicè agere, Contractus facere, tumultus excitare, omnesq; alias actiones terrenas, & prophanas impiè, & scandalosè exercère præsumpserit, pœnam viginti quinque aureorum, partìm Delatori, partìm piis locis applicandorum subire non dubitet, extendendam paritèr ad pœnam corporalem, si in ære non habeat.

CA-

CAPUT IV.

ULteriùs si quis cum Mulieribus, sivè honestis, sivè impudicis in Ecclesia colloquium scurrile habere, aut alias similes actiones agere, multo peiùs si obscenis verbis usus fuerit, aliaque fœda, & inhonesta proferre ausus fuerit, pœnâ paritèr viginti quinque aureorum, & aliis arbitrio nostro imponendis multabitur. Mandamus insuper omnibus, & singulis Ecclesiarum Rectoribus, Præpositis, Vicariis, Custodibus, ut præfatos delinquentes Evangelica correctione præmissa moneant, & in eis vetita fieri ne permittant, vel saltèm ad Nos deferant, quod si facere neglexerint, pœnam quatuor aureorum pro dimidia delatoribus, pro alia parte Piis locis applicandorum habebunt.

CAPUT V.

GRavitèr accepimus nonnullos ex Parochis, quorum esse debet peculiaris vigilantia circà reverentiam Ecclesiarum, adeò socordes, & negligentes, vel potiùs nobis licitum sit asserere parum Deum timentes, esse pessimum exemplum Subditis suis, & scandalum iis, qui sunt magis timoratæ conscientiæ afferentes, audeant fructus olivarum coacervare ad suscipiendum calorem, & super Cæmeteriis Frumentum, & Bladas terere, quod re vera in maximam coincidit irreverentiam, nedùm Loci Sacri, sed etiam Divinæ Maiestatis in Ecclesia sacramentalitèr actu existentis, ut autem ab his, & similibus attentatis contrà Dei honorem, & in animarum perniciem in futurum se abstineant, omninò præcipimus, Transgressores pœnâ vigintiquinque aureorum in Pios paritèr usus convertendorum, nostrique arbitrii esse multandos.

TI-

TITULUS XVI.

DE FUNERIBUS.

CAPUT I.

ANtiquos Ecclesiæ ritus in tumulandis Christi fidelium cadaveribus prosequi volentes, omne id, quod in præteritis tàm provincialibus, quàm Diœcesanis Constitutionibus decretum est Confirmantes, ad literam observari mandamus, ut in peragendis Funeralibus functionibus nihil dissentionis, ac discordiæ inter vivos oriatur, ex eo quod ad requiem, & pacem defunctorum institutum est, omnibus verò hucusque circa hoc ipsum statutis placuit Nobis, quod sequitur adiungere.

CAPUT II.

UT autem dignoscatur cuius Parochiæ sit subditus, qui ab una digressus in aliam se transfert, ibique vitam cum morte commutat, examinandum est ex circumstantiis, an animo ibi permanendi se transtulerit, quia si absque animo ibi persistendi sit translatus non sit secundæ Paręciæ subditus, licèt ab illa Sacramenta recipiat; Ità ut si duo verbi gratia eiusdem Principis Ephebi apud quem habitant, ægrotent; alter insanabili morbo, ut ipse, medicique censent, alter verò febri, quæ sanabilis existimatur, & ad suos quisque in diversam Principis Paręciam discedat, obeatque primus sit secundæ subditus, non alter; Ille namquè vi morbi ductus à Principe decesserat non reversurus, secundus verò animum redeundi semper habebat, undè funeralis portio primi ad parentum, secundi verò ad Principis Parochum spectabit.

CA-

CAPUT III.

ADvenæ, Peregrini, Viatores, qui nullam ſibi ſepulturam, elegiſſe præſumuntur, qui in Civitate deceſſerint in Metropolitana, qui verò in Diœceſi, in Parochialis Eccleſiæ cæmeterio, a quâ Sacramenta receperunt tumulandi ſunt.

CAPUT IV.

PRæcipuum eſt Parochi munus in propria Parœcia defuncto exequias celebrare; Cum verò à propriâ Parœciâ ad aliam, defuncti cadaver eſt aſſociandum, ad eiuſdem defuncti Parochum ſpectat domi aquâ luſtrali aſpergere, & cætera ibi de more peragere: Eius verò Parochi apud quem defertur incipit iuriſdictio ad ianuam propriæ Eccleſiæ, in quâ idem ipſe reliqua omnia, explebit, niſi alitèr immemorabili conſuetudine probetur.

CAPUT V.

ITer verò, quò procedendum eſt, defuncti non ſepulturæ Parochus ſtatuet, & tunc cum Stola, & Superpelliceo ſimùl incedent, & Parochus ſepulturæ Parocho defuncti præcedet, dummodò alter in alteriùs Eccleſiâ ſacras functiones nullatenùs exerceat.

CAPUT VI.

SI quis verò in Confraternitatibus, ſeù Oratoriis ſibi ſepulturam deligat, Parochus intra cuius fines ſita eſt Confraternitas, ſeù Oratorium officium in ea peragat, & cera inter Parochum defuncti, & Oratorium, ſeù ſocietatem dividatur, non autem, ſacras functiones circa cadaver Capellanus tàm Oratorii, quàm Confraternitatis exercère præſumat.

CAPUT VII.

PArochus defuncti in eiuſdem aſſociatione ſemper intereſſe, debet, itaùt nulli quovis prætextu licitum ſit abſque illius conſenſu cadaver efferre ſepeliendi gratiâ, quamvis defunctus ſo-

los

los regulares invitandos teſtatus fuiſſet; Nàm ipſe monendus, invitandus, & expectandus eſt, qui monitus continuò accedet, & aſſociabit de more uſque ad Eccleſiam, quod ſi cadaver comitari renuerit, tùnc adhibitis duobus teſtibus ſine proprio Parocho licitum erit cadaver ad locum deſtinatum ſepulturę tradere.

CAPUT VIII.

NE Parochi, ad evitandam ſimoniæ, & avaritię labem, differant tumulare defunctorum cadavera, ſub prætextu, quod pro funere eleemoſyna denegetur, ſed poſtquam cadaver humatum fuerit recurſum habeant ad Curiam Noſtram Archiepiſcopalem ad compellendos hæredes d bitores, ut laudabiles conſuetudines ſervent, ac debita funeralia perſolvant, & talis cauſa ſummariè, & ſine Judicij ſtrepitu decidatur.

CAPUT IX.

IN tumulandis verò pauperum cadaveribus, quibus mortuis, aut nihil ſupereſt, aùt ità parum, ut impenſa funeris fieri nequeat, tùnc Parochi teneantur propriis ſumptibus, debitis luminibus adhibitis gratìs illa ſepelire, & deindè non audeant moleſtias inferre hæredibus miſerabilibus, nec ab illis vel labores, vel tenues ſuppellectiles extorquère præſumant.

CAPUT X.

SI contigerit laicum tumulandum eſſe cum debita facultate in Sanctimonialium Eccleſiis, tùnc Officium circà cadaver peragendum eſt à Parocho, intrà cuius Pareciæ fines ſitum eſt Monaſterium, & Cera pro una medietate ad Parochum defuncti, & pro alia medietate ſpectet ad Monaſterium.

CAPUT XI.

OFficium verò peragere, quandò tumulandæ ſunt Moniales defunctæ, ſpectat ad illarum Confeſſarium, non autem ad Parochum in cuius Parecia ſitum eſt Monaſteriũ, cum ibi nullum ius habeat, iuxtà Decreta aliàs emanata à Sac. Congr.

CA-

CAPUT XII.

CUm in fraudem Parochialium iurium, ac proventuum illius Parochi, qui infirmo Sacramenta ministravit, cedere dignoscatur id quod in humandis cadaveribus à nonnullis practicari solet, videlicet, quod defunctorum corpora in Ecclesiis Regularium absque ulla prorsùs funebri pompa transvehuntur, ibique post modùm multis stipata facibus solemnitèr exponuntur; Decernimus ergò, quod in tali casu quarta pars, seù medietas iuxtà consuetudinem, pacta, & conventiones inter Ecclesias respectivè inductas, illorum intortitiorum, seù candelarum, quæ circà expositum cadaver accenduntur possit à supradicto Parocho prætendi, immò ad ipsummet spectet, ac illi de iure cedi debeat sub pœna duplicationis illius quartæ partis, seù medietatis, ut supra ab id acceptare, aut observare renuentibus, vel talem portionem cedere nolentibus protinùs incurrenda.

CAPUT XIII.

PRæætereà si contigerit funus, sive relictum, & dispositum in Testamento, sivè ab hæredibus paratum in associando, & deferendo Cadavere ad Ecclesiam sepulturæ, inspecta qualitate, & conditione personæ defunctæ videatur iudicio, & prudentiæ Vicarii nostri Generalis esse incompetens, & incongruens, præsertim si die sequenti de mane tempore celebrationis Missarum ipsummet Cadaver sit publicè expositum in Ecclesia multis candelis, vel intortitiis circumvallatum, statuimus in assignanda funerali portione Paroco defuncti debitã habendam esse rationem omnium candelarum. & intortitiorum utriusque funeris, tùm associationis de sero, tùm in Ecclesia de manè celebrati, nec non ceræ super Altaribus expositæ, & ità ad amovendam quamcumque discordiam, prætensionem, & conquestum nuper excitatum inviolabilitèr servari iubemus.

TITULUS XVII.

DE MONIALIBUS.

CAPUT I.

ANxias ergà Sacrarum Virginum disciplinam animus noster curas fovet. Nostri semper insomnes oculi mentis, & corporis attolluntur, ut videant plebem pudoris, Populum integritatis, virginitatis, ac castimoniæ concilium. Moniales scilicèt, quæ se se Christo Sponso, qui pascitur inter lilia, non brevi temporis intervallo, non annis aliquot, sed ad extremum usque spiritum, & in omnem æternitatem perpetuo sacramento consecrarunt. Ut igitur in iis illæsa semper sanctæ professionis perseverantia servetur, placuit statuere ut infra.

CAPUT II.

CUm nostras ad aures non sine animi nostri querimonia pervenerit, quod pleræque Monialium pecuniam inscia Abbatissâ apud se retineant, & suo impendant arbitratu, undè non leviter violari videtur paupertatis votum.

Hìnc est, quod ut & huiusmodi scandalum tollatur, & ipsarum saluti consulere cupientes. Universis totius Nostræ Civitatis, & Diœcesis Monasteriorum Monialium Præfectis edicimus, ut pecuniam omnem quæ quacumque de causa privatas in Sanctimonialium manus pervenerit alicubi tuto, videlicèt in deposito fidelitèr recondant, geminâque clave occludant, quarum altera sit penès Præfectam Monasterij, alteram penès Monialem depositariam ad hunc effectum destinata, arculę sint, cum nomine ipsius, ad quam spectat pecunia, & indè à Monasterii Præfecta eruatur quidquid honestus cuiusque Monialis usus exposcet.

C A-

CAPUT III.

CAtelli sivè mares, sivè fœminæ, omniaque animalia, quæ forent incitamenta ad divertendam sanctam mentem Monialium, nullo pacto retineantur intra septa Monasterii, quamvis spectarent ad puellas ibìque educationis causa commorantes, sed statim eiiciantur, nec etiam infantes utriusque sexus, cuiuscumque ætatis sint, nullatenùs in illis introducantur, ut satìs provisum est in nostra præterita Synodo, & in aliis à Predecessoribus nostris emanatis. Et propterea Præfectis Monasteriorum in mentem reducimus talia Decreta omninò esse servanda, proùt hic sub pœnis, & comminationibus inibi expressis innovamus, confirmamus, & inviolabilitèr, & adamussìm observari præcipimus, & mandamus.

CAPUT IV.

NUlla Monialis audeat emittere, & recipere epistolas inscia Monasterii Præfecta, in cuius libertate, & potestate sit illas inspiciendi, & perlegendi, proùt sibi placuerit sub pœna privationis accessus ad crates, & ad ianuam Monasterii per mensem toties quoties transgressa fuerit.

CAPUT V.

COmmessationes, & Compotationes, sivè ad crates, sivè ad ianuam Monasterii cum viris, & mulieribus etiam primo grado coniunctis evitent moniales sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ.

CAPUT VI.

INsuper cum maxima nostra admiratione intelleximus, quod in cælebrandis sacris functionibus susceptionis habitus puellarum, professionibus, ac Sacrationibus, vel Velationibus Monialium circumferantur in Ecclesia esculenta, & poculenta ad refrigerandum viros, ac Mulieres etiam nobiles ibi confluentes,

non timentes exprobationem factam ab Apostolo, dum ait: *numquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Huic scandaloso modo nupèr introducto providere cupientes districtè præcipimus, ne quis in posterum audeat deferre in Ecclesia quodlibet genus cibi, vel potus, sub pœna talia deferenti, & respectivè sumenti, necnon Moniali transmittenti excommunicationis ipso facto incurrendæ, aliisque arbitrio nostro infligendis.

CAPUT VII.

SAnctimonialium Ecclesias, & Collocutoria nisi orto Sole aperiri, & post illius occasum occludi volumus, & mandamus sub pœna Præfectæ Monasterii arbitrio nostro imponenda.

CAPUT VIII.

ABhorreant paritèr Moniales canere coràm viris, & mulieribus cuiuscumque conditionis, qualitatis, & dignitatis existentibus cantu figurato, & musicali, & Instrumenta musicalia psallere, sed inter eas tantùm privatim hoc facere in Monasterio sit permissum sub pœna privationis vocis activæ, & passivæ per mensem toties quoties hoc delictum commiserint, & sæculares, sivè Clerici, sivè Laici si ausi fuerint canere, & pulsare qualibet Instrumenta musicalia absque nostra speciali licentia in scriptis obtenta, in casibus à iure permissis coram aliqua Moniali ipso facto excommunicationis pœnam incursos esse sciant.

CAPUT IX.

LIcet permissum sit villicis, & colonis ingredi septa Monasteriorum ad deferendas res necessarias pro usu Monialium; Norint tamen statìm, ac iumenta exoneraverint, & servitium proprium exhibuerint se egressuros esse è monasterio, nec illius Præfecta in illo permanère, & ientaculum, prandium, & refectionem sumere ullo pacto sinat, aliàs pœnæ excommunicationis ipso facto incurrendæ obnoxiam esse non dubitet.

TI-

TITULUS XVIII.

DE OFFICIO PAROCHI.

CAPUT I.

SAcerdotes, qui luminaria in orbe Christiano cõstituit Deus, dum ait, vos estis lux mundi, præcipue animarum curæ addicti, quorum præter cæteros est nobilitata dignitas morum, virtutumque omnium nobilitate gregi fidelium prælucere studeant; quippe qui in erudiendis, ac instituendis ad Christianam pietatem populis præsunt, necesse est, ut suum tùm in vitæ probitate, tùm in morali scientia, sacrarumque literarum peritia studium assidue ponant, nam si à veritate auditum avertant ut ad fabulas, nugas, ludos, & scurrilitates populorum scandalo convertantur, timeãt ne sibi à Domino non mediocri animæ detrimento dicatur, quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi; Ut suæ igitur, oviumque sibi commissarum saluti consulant, statuimus Prædecessorum nostrorum vestigia sequentes, ut iterum aliàs institutæ congregationes Sacerdotum tàm curæ animarum præpositorum, quàm ad simplex clavium munus electorum ruri in omnibus Plebanijs reassumantur, ne à virtute abhorrentes imperitiæ labe coinquinati spiritualia animabus inferant detrimenta; Quæ Congregationes fiant, vel semèl saltèm in mense, vel tot vicibus quolibet anno, quot erunt cuiuslibet Cõgregationis Sacerdotes, & in singulis Congregationibus volumus describi duodecim Sacerdotes, & si in aliqua Plebania tam pauci sint, ut fieri non possit Congregatio duodecim inter se plures conveniant Plebaniæ, ita ut sufficiens numerus duodecim Sacerdotum semper accedat, nullusque animarum Rector extra aliquam ex his Congregationibus vivat.

In oppidis, seù locis insignibus muro vallatis etiam præcipimus haberi conferentiam casuum conscientiæ, ad quam bis in hebdomada convenire debeant Rectores, Confessarij, alijque

omnes Sacerdotes in dictis locis degentes. In ijs autem Congregationibus, sivè ruri, sivè in oppidis fiant, duo saltèm casus cõscientiæ respectivè discutiantur, quos diebus octo antè proponat dignior cuiuslibet Congregationis, & deinde alij per turnum, salva graduum præeminentia, & dignitas semper in oppidis præsit, qua singulorum discussione facta, apertaque sententiâ, qui casus proposuit ex mente alicuius probati Doctoris veram decisionem aperiat, quæ à Secretario ad hunc effectum deputando in libro casuum conscientiæ ab eodem parato, & quidquid resolutum fuerit, adnotetur.

CAPUT II.

ECclesiæ Rectoris, & Parochi oppidi, ubi facienda est Congregatio sint partes, ut totus sit in Congregationis negotio, ne umquam omittatur, in quâ præter casus conscientiæ discutiendos ut supra alicuius etiam rubricæ explicationem, Sacrarumque Scripturarum elucidationem pro futuro congressu proponat, ut pro se quisque nunquam intermittat, quæ ad cultum Divinum, dignitatemque Ecclesiasticam spectant; si verò ruri temporum intemperies, ac viarum incommoda Sacerdotes ab accessu Congregationis amovèrent, differantur in commodius tempus, dummodò quolibet anno duodecim sint habitæ Congregationes; Et si quis Sacerdos aliquo detineatur impedimento, pro quo non possit accedere ad Congregationem, munus sit eiusdem Rectoris, ut non tam casus discutiendos, quàm rubricas explicandas, & Sacras Scripturas elucidandas ad eum per literas mittat; Ipse verò Sacerdos legitimè impeditus decisionem casuum, Rubricæ explicationem, Sacrarumque Scripturarum elucidationem in scriptis transmittat.

CAPUT III.

PRæthereà huiusce Congregationis Secretarii sit officium, non solum propositos casus, eorumq; decisiones, sed etiam diem, & locum, in quo Sacerdotes convenerunt, eorumque numerum, qui interfuerunt, & nomina absentium scripto excipiat, ut Nos annuentes promptè certiores reddat de statu Congregationis, de

Sacer-

totum frequentia, & de omnibus aliis, quæ in Congregatione habeantur, quod si aliquis, sivè Parochus, sivè alii Sacerdotes in frequentanda Congregatione negligentes fuerint pœnâ duorum aureorum pro singulis vicibus multabuntur.

CAPUT IV.

INsuper Parochi obstricti sunt tenère libros in uno, in quo matrimonia iuxtà formam præscriptam in Rituali Romano describant, & in aliis in quibus diligenter, & distinctè nomina, & cognomina omnium, qni degunt in Parochia singulorum sexus, ætas, & status, recenter nati, mortui, & in Parecia habitatum venientes, & indè exeuntes, & potissimum quot sint personæ annuæ Communionis præcepto obnoxiæ, & an omnes in Christi reviviscentis solemniis Ecclesiæ mandatis satisfecerint, describantur, dictosque libros à Nobis inspiciendos ad Curiam Nostram Archiepiscopalem singulis annis transmittere debeant, ulteriùs prædictis Parochis, aliisque omnibus Curæ animarum præpositis præcipimus, & mandamus, ut quolibet anno post Pascha Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi intra bimestre ad Nos accedant, & ea omnia, quæ acciderint in Parochiali munere, maximè in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem ad Christianam Cathechesim ad vitæ, & morum honestatem, & ad omnem aliam Pareciæ indigentiam pertinent, exponant, & librum casuum conscientię unà cum cautis impedimenti illorum, qui in Congregatione non interfuerunt Secretarius Cancellario Nostræ Archiepiscopalis Curiæ consignet, ut decisiones casuum à Theologis à Nobis deputatis studiosè ponderatæ, Confirmationi, vel correctioni subiiciantur. Causę verò impedimenti nostræ approbationi, vel reprobationi succumbent, & ut super aliis indigentiis eisdem Parochis opportuna media exhibere possimus, Transgressores verò pœnæ quatuor aureorum Piis locis applicandorum obnoxios esse norint.

CAPUT V.

ET cum in Nostra Diœcesi irrepserit abusus, seù potiùs corruptela, quod ante Missæ Parrochialis celebrationem maior pars populi, dum præstolatur Missam solet demorari, sivè in Cęmeterio ante ianuam Ecclesiæ, sivè in Sacristia, & utrobique confabulantur tali strepitu, ut & orantium in Ecclesia, & Sacerdotis se præparantis ad celebrandam Missam devotionem distrahant; huic malo intollerabili consulere cupientes, strictiori modo quo possumus præcipimus omnibus Parochis, & Rectoribus Ecclesiarum, ut sævissimis increpationibus compellant populum, sivè ad sistendum in Ecclesia, debita mentis, & corporis compositione, & ibi exorent Deum, nec risui, nec immodestię, nec vanis, prophanisque colloquiis, sed orationibus, & supplicationibus vacent, sivè in platea, sivè alio loco procùl ab Ecclesia, & Sacristia, aliàs minentur transgressoribus à Nobis pœnis arbitratiis se esse plectendos.

CAPUT VI.

CUm autem Nobis, non sine gravi animi nostri afflictione, & perturbatione innotuerit, quod quidam Parochi, alięque Ecclesiasticæ, ac Religiosæ personæ ausæ fuerunt vendere, & alienare, tùm propolis nundinatoribus, & quod peiùs est, tùm etiam ipsismet Hæbreis Vestes Sacerdotales, ornamenta, vasa, aliaque suppellectilia sacra usui Ecclesiæ dedicata, quæ sæpè, sæpiùs cum magno dedecore dictarum rerum Sacrarum, populique admiratione, ac scandalo in publicis Emporiis, Nundinis, & Mercatibus exposita cernuntur, ut illa confluentes ad dicta loca mercarentur. Tantæ igitur protervię, ac pervicaciæ obviàm ire cupientes omni peculiari modo inhibemus, & vetamus Parochis, cæterisque Ecclesiasticis, ac Religiosis personis directè, vel indirectè vendere, & alienare quascumque res Sacras pro usu Ecclesiarum destinatas, non solum propolis nundinatoribus; multò minùs Hębreis, verùm etiàm quibuscumque aliis personis sine nostra speciali in scriptis obtenta licentia, sub pœna emptoribus talium suppellectilium Sacrorum amissionis, quo casu permittimus, & man-

mandamus, ut ab executoribus quælibet res sacræ possint auferri consignandæ Camerario nostræ Curiæ Archiepiscopalis per ipsum retinendæ ad nostram dispositionem, venditores autem poenam viginti quinque aureorum Piis Locis applicandorum subituros.

CAPUT VII.

UT arceantur iurgia, discordiæ, & dissentiones, quas quotidiè audivimus excitari cum magna populi admiratione super iure præcedendi inter Societates Laicorum, tàm in Civitate, quàm extrà, quandò plures sunt vocatæ ad Defunctorum cadavera associanda, peculiari modo statuimus, ut Parochi summo studio invigilent, quod unica tantùm Confraternitas invitetur in tali funere comitando, sivè illa quam Defunctus in suo Testamento, sivè ab hæredibus post eius obitum elegisse constiterit, & nulla secuta à nemine electione, tùnc volumus, ut dicto funeri interesse debeat Societas, quæ sita est in Parochiali Ecclesia, è qua defunctus egreditur, & ab ipso Parocho invitandam esse committimus, & mandamus, & si alitèr observatum fuerit, Parochus ipse, vel quilibet alius contraventor pœnâ scutorum quatuor Piis Locis applicandorum multabitur.

CAPUT VIII.

ULterius nobis innotuit à Parochis ipsis extorqueri præcedentem dispositionem nostram Synodalem, qua illis permittitur accessus cum Missa absq; licentia ad festivitates Plebanatus, quæ sint tituli Ecclesiarum, vel Societatum, sic facultatem contra mentem nostram extendendo ad omnes Confraternitates, Centurias, & Congregationes in Ecclesiis Plebanatus quomodolibet erectas sic frequentem eorum accessum huiusmodi reddendo, quando Nos de paucis vicibus cogitavimus; Ad reparandum igitur gravi malo indè resultanti declaramus mentem nostram non aliter fuisse, nisi quod illis sit licitus huiusmodi accessus pro Societatibus, dumtaxàt, quæ publicè in Processionibus saccis indutæ incedunt, quò ad alias verò Confraternitates, Centurias, & Congregationes nullatenus eis permissum sit accedere cum Missa, nisi

obtentâ priùs à Nobis, seù Vicario nostro Generali expressa in scriptis licentia, sub iisdem pœnis in præteritis nostris Synodalibus in casu contraventionis in hoc genere præscriptis.

CAPUT IX.

ET quia in aliquibus Ecclesiis nostræ Diœcesis abusus inolevit Processionem transferendi Sanctissimi Corporis Christi post Octavam huiusmodi solemnitatis, quod audivimus esse sine exemplo in Universo Orbe, abusum huiusmodi omninò extirpare volentes, omnes, & quascumque licentias, si quæ unquam super hoc concessæ fuerint, tàm à Prędecessoribus nostris, quàm à Nobis ipsis revocamus, expresśèque vetamus in posterum id ampliùs esse peragendum, & Parochis illud attentantibus firmitèr inhibentes, nè ultrà præscriptam octavam id audeant exercère, sub pœna decem aureorum in Pios usus convertendorum, nostrique etiam arbitrii.

CAPUT X.

ET quoniam ad nostras aures, non sine gravi animi nostri sensu, pervenit, quosdam Parochos tali inertiâ, & socordiâ detineri circa administrationem Sacramentorum, ut infirmi in eorum Pareciis degentes, & diuturno, sivè incurabili morbo laborantes, Sacræ Confessionis subsidio, & Angelici Panis refectione, diutiùs, quàm par est, defraudentur. Ne igitùr in posterum huiusmodi Sacramentis, & Spiritualibus auxiliis, congruis temporibus, destituantur, districtè eisdem Parochis præcipimus, ut huiusmodi ægrotos semèl saltèm in hebdomada visitent, eosq; salutaribus monitis solari curent, ad patientiam, & tolerantiam adhortentur, & semèl quolibet mense Eucharistico Pane, prȩviâ Sacramentali Confessione, reficiant. Qui autèm id peragere neglexerint, ultrà pœnam trium aureorum, qualibet vice deliquerint, pauperibus loci applicandorum, graviori etiam alia, arbitrio nostro infligenda, se noverint esse puniendos.

TITULUS XIX.

DE CONSTITUTIONIBUS.

CAPUT UNICUM.

AD firmius Christianæ Reipublicæ fulcimentum Sancta Mater Ecclesia divini Spiritus illustrata fulgoribus novas in diem leges, ac præcepta constituit, ut grex fidelis in via mandatorum currens, recto, ac securo tramite ad ęterna pascua pervenire aueat. Hinc nostras huiusmodi Constitutiones, quas ad meliorem Diœcesis Nostræ frugem condere intelleximus, necnon omnes ab aliis nostris Prædecessoribus, atque à Nobis ipsis hùc usquè pręscriptas omnibus, & singulis sub nostrę Pastoralis virgę regimine degentibus toto pectore amplectendas proponimus, unumquemq; adhortantes, ut earum observantiam pręstare studeat; Ideoque volumus ut has pręsentes Synodi Constitutiones duobus ab earum emanatione mensibus elapsis robur, ac vim legis accipiant, sicut, & alię pręteritarum Synodorum obtinuere; mandantes ut ubi è pręlo emerserint unusquisque Parochus earum exemplum apud se retinendum sumat, ac perlegat, & omne id quod ad laicos pertinère invenerit vernaculo idiomate explanare, & in Ecclesia promulgare satagat; Idque ipsum pręstare, eaque omnia, quæ ad earum emolumentum spectant Monialibus aperire earum Confessarii, & Gubernatores obstricti sint.

Qui verò huiusmodi exemplum sumere omiserint scutorum duorum pœnam subibunt.

TITULUS XX.

DE EXAMINATORIBUS

CAPUT UNICUM.

AD feraciorem Ecclesiastici horrei, quod divino Patrifamilias construere debemus ubertatem, atque proventum, multum refert, triticum ipsum à paleis diligentèr seligere; Eos videlicèt, qui ad conficiendum Angelorum Panem de Cœlo prçstitum, ut fideli populo frangant eligendi sunt, cautè, atq; attentè perpendere, ac si dignum Christi frumentum inventi fuerint qui, & pane Sapientiæ eorum curæ commissos alere valeant in sortẽ Domini admittere. Paleas verò leves, & aridas eos scilicèt nullo scientię fructu, aut virtutis pondere graves reiicere, atque à tàm præstanti ministerio arcère.

Ad tanti operis exercitium viros spectatæ sapientię, ac probitatis designare decernimus, qui in examinandis ordinandis exactissimâ inspectione de eorum idoneitate decernant. Neminemque approbent, quàm debita scientia pollentem, non agnoscant.

Itaque deservanda semper accuratissimè tàm necessaria cautione antequam à pręsenti Synodo discedant Juramentum pręstent, uti ex Tridentini Sanctione tenentur, nisi in pręteritis Synodis aliàs pręstiterint.

EXAMINATORES SYNODALES.

Metropolitanę Ecclesiæ.
- *D. Vicarius Generalis pro tempore existens.*
- *D. Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus.*
- *D. Benedictus Quaratesi Decanus.*
- *D. Nicolaus de Castellanis Præpositus.*
- *D. Ludovicus de Verrazzano Subdecanus.*

- *D. Jacobus Pelli Pœnitentiarius.*
- *D. Roggerius Minerbetti.*

dictæ Metropol. Canonici.

- D. Thomas Philippus Salviati.
- D. Hieronymus Viti.
- D. Thomas della Gherardesca.
- D. Laurentius Antonius del Vigna.
- D. Franciscus Maria Arrighi.
- D. Hieronymus degli Albizzi.
- D. Franciscus Tornaquinci.
- D. Raphael Cosmus Girolami.
- D. Joannes Ugolini.
- D. Cursus Corsi.
- D. Antonius del Rosso.
- D. Bernardus Cayetanus Guadagni.
- D. Julius Alexander Scarlatti.
- D. Rubeus Antonius Franciscus del Rosso.
- D. Bindus Joannes Baptista Peruzzi.
- D. Aloysius Alexander Joseph Marzimedici.
- D. Fulcus Antonius Maria Portinari.
- D. Thomas Maria Maruscelli.
- D. Aloysius Maria Strozza.
- D. Joseph Maria Martelli.
- D. Laurentius Gherardini.

D. Franciscus Bacci Archidiaconus Aretinus, & Auditor Illustrissimi, & Reverendiss. Domini Nuncii Apostolici.

D. Sebastianus Zucchetti J. U. D. Eques Divi Stephani, & Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ S. Andreæ de Emporio.

D. Petrus Simon Federighi J. U. D. & Eques Divi Stephani.

D. Felix Monsacchi J. U. D. ac Præpositus Oratorii S. Jo Bapt. de Flor.

D. Joannes Laurentius Tilli Can. Castri Florentini, & Vicarius Generalis S. Miniatis.

D. Petrus Franciscus Mormorai Clericus Florentinus J. U. D.

D. Fridericus Giannetti S. T. D. Canonicus Ecclesiæ S. Laurentii.

D. Dominicus Baldi S. T. D. & Prior SS. Apostolorum.

D. Benedictus Sensi S. T. D. ac Rector Ecclesiæ S. Mariæ de Verzaia.

D. Joannes Dominicus del Bruno S. T. D.

D. Vincentius Ciani S. T. D.

D. Petrus Franciscus Biscioni S. T. D. & Rector Ecclesiæ S. Blasii.

D. Bartholomæus Piallacci S. T. D. ac Rector Ecclesiæ S. Mariæ de Alberigis.

D. Do-

D. *Dominicus Soldani J. U. D.*
D. *Franciſcus Vanni S. T. D.*
D. *Alexander Tei S. T. D.*
D. *Marcus Roſſi S. T. D.*
D. *Franciſcus Solari I. U. D.*
D. *Andreas Barducci S. T. D.*
D. *Joannes Franciſcus Ciferi I. U. D. Plebanus S. Petri in Mercato.*
D. *Dominicus Magni I. U. D.*
D. *Laurentius Venzi S. T. D. Plebanus S. Cæciliæ à Septimo.*
D. *Jo. Guerrinus Guerrini S. T. D. & Can. Coll. Eccl. S. Laurentii.*
D. *Dominicus Soderini I. U. D.*
D. *Vincentius del Riccio S T. D.*
D. *Joſeph Ciucci I. U. D.*
D. *Joſeph Melis I. U. D.*
D. *Julius Cæſar Franciſcus Filippini I. U. D.*
D. *Antonius Maria Lombardi I. U. D.*
D. *Antonius Philippus Vergelli I. U. D.*
D. *Julianus Colzi I U. D. Prior S. Nicolai ultrà Arnum.*
D. *Matthias Tozzi I. U. D.*
D. *Joſeph Ciampelli I. U. D.*
D. *Joannes Andreas Gabbiani I. U. D.*
D. *Petrus Bologneſi S. T. D., & Magiſter Gimnaſii Clericorum.*
D. *Antonius Cappelli S. T. D.*
D. *Leopoldus Tonelli S. T. D.*
D. *Antonius Bocci U. I. & S. T. D.*
D. *Thomas Roſſi S. T. D.*
D. *Philippus Maria Valloni S. T. D.*
D. *Antonius Fiani I. U. D. Rector Eccleſiæ S. Miniatis inter Turres.*

REGULARES.

Omnes Abbatiæ Flor. Congreg. Caſſinenſ.
- P. D. *Angelus Ninci Abbas.*
- P. D. *Victorius Taglia Prior.*
- P. D. *Joannes Baptiſta Ormanni.*
- P. D. *Maurus Aretinus.*
- P. D. *Maurus Piſcienſis.*
- P. D. *Bernardus Savini.*
- P. D. *Anſelmus Collenſis.*

P. D. An-

P. D. Angelus Maria Bergomensis.
P. D. Felix Bergomensis.
P. D. Anselmus Maria de Racusa.

Congregation. VallisUmbrosę
P. Abbas D. Gregorius Bartoli Visitator Generalis.
P. Abbas D. Laurentius Poltri.
P. Abbas D. Octavius Bacci.
P. Abbas D. Valentinus Calzolari.
P. Abbas D. Mansuetus Brisoni.
P. Abbas D. Ambrosius Genovini.
P. M. D. Alphonsus Foggini S. T. D.
P. M. D. Stanislaus Nardi S. T. D.
P. M. D. Epiphanius Davanzati S. T. D.
P. M. D. Hilarius Carleschi S. T. D.
P. M. D. Paulus Maria Leonardi S. T. D.
P. D. Savinus Losi S. T. L.

Congregat. Camaldulensiū.
P. D. Martinus Angelus Franchi.
P. D. Joseph Augustinus Mancini.
P. D. Angelus Maria Sampoli.

Congregationis Cistercensium.
P. Abbas D. Ferdinandus Maria Buonmannelli.
P. Abbas D. Jo. Baptista Maggi.
P. Abbas D. Ignatius Colombini.
P. Abbas D. Laurentius Citerni.
P. D. Bernardus Maria Barberi.
P. D. Antoninus Frilli.
P. D. Pacificus Orlandi.

Canonici Reg. S. Salvatoris.
P. Abbas D. Joannes Andreas Arrigucci.
P. Abbas D. Adam Rosi.

Congregation. Cœlestinorum.
P. D. Placidus Sergiuliani.
P. D. Ludovicus Severoli.
P. D. Anselmus Franceschi.
P. D. Petrus Castellari.

Congregation. Olivetanæ.
P. Abbas D. Cammillus Nelli.
P. D. Barnabas Simeoni.
P. D. Robertus Fœlix Sassatelli.
P. D. Julius Mucettola.

P. M. Fr. Raphael Badii Prior S. Maria Novellæ.
P. M. Fr. Petrus Tacca.
P. M. Fr. Carolus Gucci.

Ordinis Prædicatorum.	P. M. Fr. *Stephanus Quercetani.*
	P. M. Fr. *Anselmus Bonini.*
	P. L. Fr. *Alexander Mugotti.*
	P. L. Fr. *Ubaldus Ubaldini.*
	P. L. Fr. *Basilius Affatichi.*
	P. L. Fr. *Hyacinthus Massai in Collegio Eugeniano Theol. Moral. Lector.*
	P. L. Fr. *Hyacinthus Ventura Talenti.*
	P. L. Er. *Joannes Antonius Orsucci.*
	P. L. Fr. *Albertus Salvi Prior S. Marci.*
	P. L. Fr. *Thomas Quaratesi.*
	P. L. Fr. *Joannes Thomas Bertolini.*
	P. L. Fr. *Joannes Philippus Baldinucci.*
	P. L. Fr. *Thomas Angelus Corboli.*
Ord. Servorum	P. M. Fr. *Joannes Franciscus Maria Poggi General.*
	P. M. Fr. *Gregorius Aloysius Tonelli.*
	P. M. Fr. *Cosmus della Bella.*
	P. M. Fr. *Gherardus Capassi.*
	P. M. Fr. *Leopoldus Masi.*
	P. M. Fr. *Aloysius Maria Garbi.*
	P. M. Fr. *Julius Antonius Roboredo.*
	P. M. Fr. *Julius Antonius Maria Giuliani.*
	P. M. Fr. *Placidus Bonfrizieri.*
Ord. Carmelit.	P. M. Fr. *Bened. Borgiotti.*
	P. M. Fr. *Angelus Maria Malaspina.*
	P. M. Fr. *Ferdinandus Chelli.*
	P. M. Fr. *Franciscus Ventaka.*
	P. M. Fr. *Franciscus Maria Cecchi.*
	P. M. Fr. *Joannes Andreas Saccardi.*
	P. M. Fr. *Joseph Maria Dussetti.*

P.L.Fr.*Albertus Mascalchi Carmelita Congreg. Mantuę*

Carmelitæ Excalceati.	P. Fr. *Hieronymus à S. Carolo Provincialis.*
	P. Fr. *Paulus Hieronymus à S. Francisco Definit. Prov.*
	P. Fr. *Carolus Alexius à S. Maria.*
	P. Fr. *Valerius à S. Laurentio.*
	P. Fr. *Honuphrius Antonius à SS. Trinitate.*
	P. Fr. *Joannes Bartholomęus à Jesu.*

P. M.

Ord. Hæremit. S. Auguſtini.

P. M. Fr. Andreas Arrighi Provincialis.
P. M. Fr. Petrus Merlini Prior Sancti Spiritus.
P. M. Fr. Michael Baſtremi.
P. M. Fr. Dominicus Antonius Simoni.

Auguſtin. Congreg. Illicetanę

P. Bacc. Fr. Deſiderius Caſini Prior.
P. Bacc. Fr. Lucas Bocciardi.
P. Bacc. Fr. Cammillus Landi.
P. Mag. Fr. Matthias Cecchi.

P. L. Fr. Cammillus Franciſcus Mannelli Prior Conventus S. Jacobi inter foveas Auguſtinianus Congregationis Lombardiæ.

Auguſtiniani excalceati.

P. Carolus à S. Joſeph Prior.
P. Deſiderius à S. Maria Magdalena.
P. Ermenegildus ab omnibus Sanctis.
P. Martinus à S. Stephano.
P. Rocchus à S. Maria.
P. Andreas à Nativitate Domini.

Ord. Min. Cōv. S. Franciſci.

P. *M. Fr. Bernardus Montanelli.*
P. *M. Fr. Joannes Vincentius Martellini S.R.L.S.T.*
P. *M. Fr. Bonaventura Baccioni.*
P. *M. Fr. Antonius Franciſcus Cioppi.*
P. *M. Fr. Albertus Maria Roſſi.*
P. *M. Fr. Antonius Brunelleſchi.*

Ord. Min. S.Fr. de Obſervantia

P. *Fr. Joannes Maria à S. Cruce Miniſter Provinc.*
P. *Fr. Michael Angelus de Florentia.*
P. *Fr. Bonaventura de Baldoccis de Florentia.*
P. *Fr. Cherubinus à Bibbiena Lector Jubil.*

Lectores Jubil. eiuſd. Ordinis.

P. *Fr. Ladiſlaus de Florentia.*
P. *Fr. Joannes Dominicus de Cutiliano.*
P. *Fr. Bonaventura à S. Cruce.*
P. *Fr. Bonaventura de Barberino.*
P. *Fr. Seraphinus de S. Caſſiano.*

Ordinis Minor. S. Franc. Strictioris Obſerv.

P. *Fr. Franciſcus Memmi de Flor.*
P. *Fr. Joannes Maria de* Flor.
P. *Fr. Albertus de* Flor.
P. *Fr. Caſymirus de* Flor.
P. *Fr. Bernardus de Cutiliano.*
P. *Fr. Andreas de Cutiliano.*
P. *Fr. Julianus de Cutiliano.*
P. *Fr. Io. Benedictus de Seravezia.*

Societatis Jesu
- P. *Gabriel Maria de Grassis Rector Collegii.*
- P. *Annibal de Marchettis Rector Novitiatus.*
- P. *Ioseph Maria Sotomaior.*
- P. *Franciscus Saracinelli.*
- P. *Alexius Strozza.*
- P. *Franciscus Rasponi.*
- P. *Carolus Maria Dionisi.*
- P. *Ferdinandus Zucconi.*
- P. *Alexander Sesti.*
- P *Iulius Negri.*
- P. *Franciscus Maria Corraducci.*
- P. *Ioannes Scarlatti.*

Clerici Regul. Theatini.
- P. D. *Michael Barbi Vicarius.*
- P. D. *Nicolaus Barbi.*
- P. D. *Franciscus Maria Carducci.*
- P. D. *Ioannes Dominicus Palei.*
- P. D. *Franciscus Maria del Riccio.*
- P. D. *Carolus Mancini.*
- P. D. *Ludovicus Negri.*
- P. D. *Ioannes Cayetanus Tommasi.*
- P. D. *Franciscus Antonius Baldelli.*
- P. D. *Petrus Franciscus Schianteschi.*
- P. D. *Antonius Maria Corazzi.*

Clerici Regul. Barnabitæ.
- P. D. *Fridericus Ferrari.*
- P. D. *Antonius Bigatti S. R. L. S. T.*
- P. D. *Iuvenalis Bonelli.*
- P. D. *Amadeus Antoniotti.*
- P. D. *Bernardus Pesantius.*

Ord. Minimorũ
- P. *Egidius Toci.*
- p. *Dominicus Martini.*
- P. *Virgilius Carpi.*
- P. *Hyacinthus Vezzosi.*

P. *Bartholomæus Reyna Ordinis S. Ioannis Dei.*

Ord. Ministrantium Infirmis.
- P. *Nicolaus Morganti.*
- P. *Thomas Paolini.*

- P. *Sigismundus à S. Sylverio Provincialis.*
- P. *Ioannes Dominicus à S. Vincentio Rector.*
- P. *Ioannes Stephanus à s. Nicolao Rector domus probat.*

P. An-

Ordinis pauperum Matris Dei Scholarum Piarum.
- P. *Angelus à Conceptione.*
- P. *Jo. Gualbertus à S. Sigismundo Assistens Provincialis*
- P. *Benedictus à S. Victore.*
- P. *Franciscus Maria à S. Laurentio.*
- P. *Andreas à S. Sebastiano.*
- P. *Antonius ab Annunciatione.*

TITULUS XXI.
DE JUDICIBUS.
CAPUT UNICUM.

PRo cognoscendis, ac decidendis Causis, quę in Ecclesiastica Curia versantur statuit Sac. Concilium Tridentinum, ut quælibet Diœcesana Synodus insignes, ac summę integritatis viros Sacrorum Canonum scientia prędìtos designet, qui virgam Justitię ferream gestare norint, quę nulla vi, aut auri pondere à rectitudine deflectat, quique nulla affectus fuligine obcęcati, quid iniquum videntes induant pro thorace Justitiam, pro galea Judicium certum accipiant, scutum fumant inexpugnabile ęquitatem. OEcumenicę igitur Sanctioni obtemperare volentes infrascriptos viros in Judices eligimus, eos commonentes, ut in exercendo iniuncti officii ministerium secum maturè perpendant se quam primum ad Tribunal Judicis Supremi, qui, & Justitiam iudicabit sistendos fore.

JUDICES SYNODALES.

Metropolitanę Ecclesiæ.
- D. *Vicarius Generalis pro tempore existens.*
- D. *Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus.*
- D. *Benedictus Quaratesi Decanus.*
- D. *Nicolaus Castellani Præpositus.*
- D. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*

Canonici dictæ Eccl. Metropolitanæ, omnes J.U.DD. et Prothonot. Apost.

D. *Jacobus Pelli Pœnitentiarius.*
D. *Roggerius Minerbetti.*
D. *Thomas Philippus Salviati.*
D. *Hieronymus Viti.*
D. *Thomas della Gherardesca.*
D. *Laurentius Antonius del Vigna.*
D. *Franciscus Maria Arrighi.*
D. *Hieronymus degli Albizzi.*
D. *Raphael Cosmus Girolami.*
D. *Joannes Ugolini.*
D. *Cursus Corsi.*
D. *Antonius del Rosso.*
D. *Bernardus Cayetanus Guadagni.*
D. *Julius Alexander Scarlatti.*
D. *Rubeus Antonius Franciscus del Rosso.*
D. *Bindus Joannes Baptista Peruzzi.*
D. *Fulcus Antonius Maria Portinari.*
D. *Thomas Maria Maruscelli.*
D. *Aloysius Maria Strozza.*
D. *Joseph Maria Martelli.*
D. *Laurentius Philippus Gherardini.*

D. *Franciscus Bacci Archidiaconus Aretinus, & Auditor Illustrissimi, & Reverendiss.* Domini *Nuncii Apostolici.*
D. *Sebastianus Zucchetti Præpositus Emporiensis J. U. D. & Prothonotarius Apostolicus.*
D. *Petrus Simon Federighi Eques J. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Felix Monsacchi Prępositus Oratorii S. Jo. Bapt. de Flor. J. U. D. & Prothon. Apostol.*
D. *Joannes Laurentius Tilli Canonicus Collegiatæ Castri Florentini, & Vicarius Generalis Illustrissimi, & Reverendiss. D. Episcopi S. Miniatis.*
D. *Petrus Franciscus Mormorai J. U. D. & Prothon. Apost.*
D. *Dominicus Soldani J. U. D. & Prothon. Apost.*
D. *Dominicus Ridi J. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Nicolaus Bianchi J. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Joseph Ciucci I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Joseph Melis I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Julius Cæsar Franciscus Filippini I. U. D. & Proth. Apost.*

D. *An-*

D. *Antonius Philippus Vergelli I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Antonius Maria Lombardi I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Antonius Bocci I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Matthias Tozzi I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Joannes Andreas Gabbiani I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Joseph Ciampelli I. U. D. & Proth. Apost.*
D. *Antonius Fiani I. U. D. & Proth. Apost.*

JUDICES CONSERVATORES.

EMINENTISS. AC REVERENDISS. D. CARDINAL. MORIGIA ARCHIEPISCOPUS FLORENTINUS.

Can. Florentini:
D. *Vicarius Generalis pro tempore existens.*
D. *Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus.*
D. *Benedictus Quaratesi Decanus.*
D. *Nicolaus Castellani Præpositus.*
D. *Jacobus Pelli Pœnitentiarius.*
D. *Thomas Philippus Salviati.*
D. *Hieronymus Viti.*
D. *Thomas della Gherardesca.*
D. *Franciscus Maria Arrighi.*
D. *Raphael Cosmus Girolami.*
D. *Bernardus Cayetanus Guadagni.*
D. *Fulcus Antonius Maria Portinari.*
D. *Aloysius Maria Strozza.*
D. *Laurentius Philippus Gherardini.*

VISITATORES ORATORIORUM, CONFRATERNITATUM, ET CAPELLARUM.

Omnes Canon. Florentini.
D. *Robertus Medici.*
D. *Roggerius Minerbetti.*
D. *Franciscus Gianfigliazzi.*
D. *Thomas Philippus Salviati.*
D. *Hieronymus Viti.*
D. *Laurentius Antonius del Vigna.*
D. *Hieronymus Zefferini.*
D. *Franciscus Maria Arrighi.*

D. Fran-

D. *Franciscus Tornaquinci*.
D. *Aloysius Alexander Joseph Marzimedici*.

DEPUTATI SUPER IMPOSIT. FLUMINUM.

Can. Florentini:
D. *Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus*.
D. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus*.
D. *Robertus Medices*.
D. *Roggerius Minerbetti*.
D. *Thomas della Gherardesca*.
D. *Laurentius Antonius del Vigna*.
D. *Hieronymus Zefferini*.
D. *Hieronymus degli Albizzi*.
D. *Joannes Ugolini*.
D. *Bernardus Cayetanus Guadagni*.
D. *Bindus Joannes Baptista Peruzzi*.
D. *Laurentius Philippus Gherardini*.

D. *Dominicus Azzurrini Prior Ecclesiæ de Bellosguardo*.
D. *Raphael Cirri*.
P. *Abbas Septimi pro tempore existens*.
P. *Carolus Antonius Tubii Minor Conventualis*.
P. *M. Fr. Placidus Bonfrizieri Ordinis Servorum*.

XENODOCHIARII, ET REVISORES PIORUM LOCORUM.

Can. Florentini:
D. *Antonius Medices*.
D. *Franciscus Gianfigliazzi*.
D. *Joannes Bardi*.
D. *Joannes Andreas Martelli*.
D. *Raphael Cosmus Girolami*.
D. *Joannes Ugolini*.
D. *Bernardus Cayetanus Guadagni*.
D. *Bindus Joannes Baptista Peruzzi*.
D. *Aloysius Alexander Joseph Marzimedici*.

D. *Joannes Baptista Frescobaldi Prior Sancti Laurentii*.
D. *Antoninus Cortigiani*.
D. *Dominicus Borrini Prior Hospitalis Sancti Pauli*.

D. Do-

D. *Dominicus Azzurrini Prior de Bellosguardo.*
D. *Simon Bandini.*
D. *Bernardus Benvenuti Prior S. Falicitatis.*
D. *Petrus Antonius Longi Prior S. Petri Maioris.*
D. *Carolus Cianfogni Prior S. Ambrosii.*

REVISORES MONASTER. MONIALIUM.

Metropol. dictæ:
D. *Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus.*
D. *Nicolaus Castellani Præpositus.*
D. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*

Can. Florentini:
D. *Robertus Medices.*
D. *Roggerius Minerbetti.*
D. *Hieronymus Viti.*
D. *Thomas della Gherardesca.*
D. *Laurentius Antonius del Vigna.*
D. *Franciscus Maria Arrighi.*
D. *Franciscus Tornaquinci.*

VISITATORES GYMNASII CLERICORUM

Can. Florentini:
D. *Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus.*
D. *Franciscus Maria Arrighi.*
D. *Raphael Cosmus Girolomi.*
D. *Bernardus Cayetanus Guadagni.*
D. *Julius Alexander Scarlatti.*
D. *Bindus Joannes Baptista Peruzzi.*
D. *Aloysius Alexander Joseph Marzimedici.*
D. *Fulcus Antonius Maria Portinari.*

APPROBATORES CÆREMONIARUM SACRIFICII MISSÆ.

Can. Florentini:
D. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*
D. *Hieronymus Viti.*
D. *Laurentius Antonius del Vigna.*
D. *Franciscus Maria Arrighi.*
D. *Franciscus Tornaquinci.*
D. *Aloysius Alexander Joseph Marzimedici.*

D. *Hya-*

D. Hyacinthus Marini Magister Cæremoniarum, & omnes alii Metropolitanæ Nostræ futuri Cæremoniarum Magistri.

D. Joannes Cammillus Vandi Canonicus S. Laurentii.

Superior Congregationis Sancti Salvatoris Archiepiscopalis Palatii pro tempore existens.

Capellani dictæ Eccl. Metr.
- D. *Vincentius Ciani.*
- D. *Matthæus Coferati.*
- D. *Antonius Franciscus Dolci.*
- D. *Joannes Ottonelli.*

D. Joannes Antonius Castagnoli Capellanus Substitutus.

D. Dominicus Cappelletti Capellanus Substitutus.

D. Bernardus Benvenuti Prior S. Fælicitatis.

D. Joannes Dominicus Giannini ex Curatis S. Laurentii.

D. Paulus Virgilius Durazzini.

D. Franciscus Turillazzi Capellanus Substitutus d. Eccl. Metrop.

PRO DOCTRINA CHRISTIANA.

D. *Vicarius Generalis pro tempore existens.*

D. *Abbas Aloysius Strozza Archidiaconus.*

D. *Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.*

Canonici Florentini.
- D. *Hieronymus Viti.*
- D. *Thomas della Gherardesca.*
- D. *Franciscus Maria Arrighi.*
- D. *Aloysius Alexander Joseph Marzimedici.*
- D. *Aloysius Maria Strozza.*
- D. *Laurentius Philippus Gherardini.*

D. *Eques Petrus Simon Federighi.*

D. *Antoninus Cortigiani.*

D. *Petrus Franciscus Biscioni Rector S. Blasii.*

D. *Bartholomæus Fiallacci Rector S. Mariæ de Alberighis.*

Canonici Sancti Laurentii
- D. *Joannes Cammillus Vandi.*
- D. *Aloysius Perier.*
- D. *Joannes Guerrinus Guerrini.*

D. *Dominicus Magni.*

D. *Franciscus Vanni.*

Superior Congregationis Iesu Salvatoris Archiepiscopalis Palatii pro tempore existens.

D. An-

D. Antonius Franciſcus Dolci Capellanus Eccleſiæ Metropolitanæ.
D. Benedictus Maria Borghigiani Plebanus S. Stephani in Pane.
D. Carolus Philippus del Beccuto Prior Eccleſiæ de Gangalandi.
D. Joannes Baptiſta Roſſi.

PRO CATHECUMENIS.

Can. Florentini
D. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.
D. Roggerius Minerbetti.
D. Franciſcus Gianfigliazzi.
D. Hieronymus Viti.
D. Franciſcus Maria Arrighi.
D. Franciſcus Tornaquinci.
D. Aloyſius Alexander Joſeph Marzimedici.
D. Fulcus Antonius Maria Portinari.
D. Laurentius Philippus Gherardini.

D. Antoninus Cortigiani.
D. Eques Petrus Simon Federighi.
D. Antonius Maria Salvini.
D. Fridericus Giannetti Can. S. Laurentii.
D. Joannes Cammillus Vandi Canonicus S. Laurentii.
D. Dominicus Baldi Prior SS. Apoſtolorum.
D. Petrus Franciſcus Biſcioni Rector S. Blaſii.
D. Joannes Dominicus del Bruno.

Canonici Sācti Lurentii
D. Joannes Guerrinus Guerrini.
D. Aloyſius Perier.

D. Benedictus Maria Borghigiani Pleb. S. Stephani in Pane.

PRO BENEDICTIONE VESTIUM AD ARBITRIUM NOSTRUM.

D. Vicarius Generalis pro tempore exiſtens.
D. Abbas Aloyſius Strozza Archidiaconus.
D. Benedictus Quarateſi Decanus.
D. Nicolaus Caſtellani Præpoſitus.
D. Ludovicus à Verrazzano Subdecanus.

Can. Florentini { D. Robertus Medices.
D. Roggerius Minerbetti.
D. Franciscus Gianfigliazzi.
D. Thomas della Gherardesca. }

EXTRA CIVITATEM VERO'.

pro tempore existentes. { D. Præpositus Emporii.
D. Plebanus Imprunetæ.
D. Plebanus Castri Florentini.
D. Plebanus S. Stephani in Pane. }

TESTES SYNODALES.

Can. Flor. { D. Fulcus Antonius Maria Portinari.
D. Leonardus Dantes Gianfigliazzi.
D. Thomas Maria Maruscelli.
D. Joseph Maria Martelli.
D. Laurentius Philippus Gherardini.
D. Joseph Martellini. }

EXTRA CIVITATEM VERO'.

Omnes Plebani in suis Plebanatibus.

EXECUTORES SYNODALES.

Can. Florentini { D. Joannes Bardi.
D. Franciscus Gianfigliazzi. }

PROMOTOR SYNODI.

D. Thomas ex Comitibus della Gherardesca Canonicus Florentinus.

Nicolaus de Castellanis Vicarius Generalis, & Compilator Synodi.

Laurentius de Borghigianis J. U. D. Cancellarius.

IN-

INDEX TITULORUM.

PAG.	CAPIT.	LINEA	ERROR	CORRECTIO
5.	Cap.Unicũ	2.	necuis	nequis
5.	Cap. 1.	14.	evert atur	evertatur
12.	Cap. 1.	7.	inſrequenter	infrequenter
12.	Cap. 2.	6.	Judicio	Judicii
13.	Cap. 4.	15.	patrati fuerint	patratum fuerit
30.	Cap. 4.	10.	infligendum	afficiendum
33.	Cap. 5.	3.	ſideli	fideli
35.	Cap. 7.	4.	peragant	peragat
40.	Cap. 7.	4.	pronoti	promoti
41.	Cap. 7.	30.	fine	ſine
45.	Cap. 11.	1.	cetera	cætera
50.	Cap. 2.	11.	alteram	altera
50.	Cap. 2.	12.	deſtinata	deſtinatam
51.	Cap. 6.	2.	Celebrandis	Cælebrandis
51.	Cap. 5.	3.	grado	gradu
53.	Cap. 1.	1.	qui	quos
55.	Cap. 3.	1.	Sacertotum	Sacerdotum
56.	Cap. 5.	15.	arbitratiis	arbitrariis

PRÆCEPTA, ET DOCUMENTA

Pro Parochis, & omnibus Confessariis Civitatis, & Diœcesis Florentinæ,

AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. D. D. JACOBO ANTONIO MISERATIONE DIVINA S. R. E TITULI S. CECILIÆ PRÆSB. CARD. MORIGIA ARCHIEP. FLORENTINO EDITA.

NULLUS Sacerdos Secularis, vel Regularis Confessiones audire præsumat, nisi priùs examinatus, approbatus, & admissus fuerit, sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ.

Parochi rurales non audiant Confessiones in Civitate nisi sint à Nobis generalitèr approbati, & extrà propriam Parochiam in aliena Ecclesia nisi ex consensu Parochi, vel alterius, illius personam repræsentantis; Urbani verò possint tàm in Urbe, quàm extrà audire Confessiones, sed semper in aliena Ecclesia de licentia Parochi ut supra. Sed in Cathedrali nullus eorum, nec etiam simplices Sacerdotes aliarum Ecclesiarum, tàm rurales, quàm Civitatis, nisi de licentia Vicarii Generalis; alitèr sciant Confessiones fore nullas cum nostra intentio sit modo tantùm prædicto illos ad eas audiendas admittere.

Districtè præcipimus, & omni qua possumus auctoritate iubemus tàm Secularibus, quàm Regularibus Confessariis, ut cum intra alienæ Parochiæ fines alicuius gravitèr decumbentis Confessionem audient, illicò certiorem ægrotantis Parochum reddant.

Caveant Confessarii ad hoc Sacramentum administrandum inani gloria, curiositate, aut avaritia moveantur, & ea quæ Fideles iure possent offendere in huius sacri Judicii administratione diligenter evitent, potissimum pecuniarias pœnitentias, vel Missarum celebrationem, nec sibi, nec suis Ecclesiis tribuendas curent, sed piis tantùm operibus, vel locis applicent, easque non nisi ob avaritiæ, aut aliud simile delictum imponant, neque eorum distributiones sibi demandari studeant, quod si sibi, vel suis Ecclesiis huiusmodi pecuniarias pœnitentias, vel Missarum celebrationem applicaverint, aut earum distributiones sibi demandari studuerint, ipso facto ab audiendis Confessionibus sint suspensi.

Prædecessorum nostrorum Synodalibus Constitutionibus inhærendo, easque renovando, & confirmando, sub eadem pœna Suspensionis à Confessionibus audiendis ipso facto incurrendæ, Confessariis tàm infirmorum, quàm aliorum iubemus, ne se in Testamenti factione quoquo modo immisceant, neque confitentes ad sibi, vel suis Ecclesiis aliquid relinquendum, vel sepulturam in eis eligendam directè, vel indirectè inducant.

Hilari vultu, & absque personarum exceptione Pœnitentes omnes accipiant, servata nihilominus debita gravitate, & modestia.

Sciscitentur à Confitente præsertim sibi ignoto, raròve ad Confessionem accedente, antequam eius crimina audire incipiant, an sit aliqua Censura reservata ligatus, vel habeat Casus Summo Pontifici, vel Episcopo reservatos, & an careat proposito peccata vitandi: & tunc si talem invenerint, ulteriùs ne progrediantur, sed blandè, & humanitèr à se dimittant, illum interim admonentes, ut melius se præparet, aut facultatem, qua absolvi possit, à potestatem habente ipse Pœnitens, vel Confessarius procurent, nulloque modo absolvant sine rationabili causa à peccatis non reservatis, vel non habentibus annexam Censuram, remittendo posteà eos ad habentes facultatem ab aliis absolvendi.

Doceant supernaturalem aliquem dolorem peccatorum ad veniam promerendam in Sacramento Pœnitentiæ esse penitùs necessarium, quem facilè quisquam comparabit, si Dei infinitam Maiestatem, & Bonitatem, suorum scelerum fœditatem, & multitudinem, pœnasque à Deo sibi paratas attentè considerabit.

In discutiendis peccatis ne detineant Confitentes interrogationibus curiosis, aut minimè necessariis, & attentè curent ne pueros, puellas, rudesve personas de his, quæ ignorant imprudentèr interrogando instruant.

Peritiores in dubiis consulant, monendo Pœnitentem ne iterùm redire gravetur, suoque iudicio non determinent quicquam esse mortale peccatum nec ne, quando res est dubia.

Si fortè grave scelus, aut enorme à Pœnitente audierint, nullum abominationis signum ostendant, sed repræhensionem adhibeant, Confessione expleta.

Caveant ne signo aliquo prodant denegatam fuisse Pœnitenti absolutionem, nec aliud quod tanti Sacramenti sigillum infringat; quod ut faciliùs assequantur, simplicem benedictionem cum recitatione Orationum, Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. pœnitenti impertiantur.

Mulieres neque ante solis ortum, neq; elapsa hora vigesima quarta diei, neq; extrà consuetas sedes, nisi aliud rei necessitas postulet, ad Confessiones admittantur in Templis.

Nullus tàm Sæcularis, quàm Regularis Parochus, aut Confessarius sivè mulierum, sivè virorum domos adeat, ibique nec etiam in Oratoriis Confessiones recipiat, nisi in casibus infirmitatis, aut maximæ alicuius similis necessitatis, in quibus Pœnitentes Ecclesiam adire non possint. Qui secùs fecerint, ab audiendis Confessionibus sint ipso facto suspensi; nostra enim mens est licentias audiendi Confessiones eis concessas quamquam generales extra huius conditionis limites non extendi.

Quando ipsis certæ personæ restitutiones faciendæ à Pænitentibus demandantur, exigant a recipiente satisfactionem, scilicet fidem scriptam à se factæ restitutionis, quam restituendi pro Pœnitentibus obligationem raro, & non nisi in necessitatis casibus acceptent.

Moneant Patres, & Matres familias, ut soliciti, sedulique sint circa suorum filiorum Christianam educationem, & sine gravi imposita pœnitentia transgressores non absolvant, potissimum autem in iis casibus, in quibus filios, & filias grandiusculas, videlicèt ultrà septennium, domi detinent dum Missæ sacrificium peragitur, & Doctrina Christiana docetur, absque iusta, & legitima causa à Confessariis dijudicanda, qui quidem parentes talia perpetrantes in Excommunicationem incident.

Dum rudium, & puerorum audiunt Confessiones, interrogent eos de mysteriis principalioribus Fidei, potissimum tempore Paschatis, & in iisdem mysteriis instruant antequam absolvant.

Animadvertant ut semper priusquam absolvant pœnitentias imponant, quæ tamen sint delictorum gravitati proportionatæ, & tales ut à Penitentibus verosimilitèr adimpleantur, nec sine eorumdem Pœnitentium consensu publicè exequendas tradant.

Omnes Parochi, & Confessarii Pœnitentes quoquo modo solicitantes, ultrà pœnas à Summis Pontificibus inflictas, reminiscantur se in pœnam Suspensionis à Divinis ipso facto incursuros. Si autem invenerint Confessarii, vel Parochi pœnitentem ab alio fuisse in Confessione solicitatum, sciant ex Gregorii XV. & Urbani VIII. iussionibus se esse obligatos monere ipsum pœnitentem, etiam si sollicitationi consenserit, de obligatione denunciandi Confessarium, qui eum solicitavit.

Ad evitandam puerorum oppressionem, & suffocationem, Parochos, & Confessarios monemus, ut maximam adhibeant curam in præcipiendo tàm viris, quàm mulieribus, ne cum pueris ante absolutum annum sine capsula dormiant: quod si culpabiles repererint, absolutionem etiam quando expediens sibi videbitur, denegent.

Monemus præterea eos non benè officio suo satisfacere, qui Confessiones summatìm, & inconfusò absque necessaria distinctione qualitatum, & quantitatum peccatorum excipiunt.

Non admittant ad Confessionem eos, qui sine prævio sufficienti examine accedunt, præsertìm quando longioris temporis Confessiones fuerint. Quod si Pœnitens, vel impotentia, vel ignorantia examen facere non possit, ipsi sciant se teneri ad eorum ignorantiam, seù impotentiam interrogationibus supplendam.

Insuper omnes, maximè qui tenuioris sunt scientiæ, habeant aliquam casuum conscientiæ Summam vèrnaculo, seù latino sermone conscriptam, eique frequentèr studeant.

CASUS ET EXCOMMUNICATIONES ARCHIEPISCOPO FLORENTINO RESERVATÆ.

Distributio bonorum restituendorum, quando ignoratur certa persona, cui restitutio facienda est.

Homicidium voluntarium.

Oppressio, seù puerorum suffocatio.

Nefaria consuetudine, Deum, Beatam Virginem Mariam, vel Sanctos blasphemantes.

Carnes, aliosque vetitos cibos Quadragesimæ diebus, aliorumque Jeiuniorum ab Ecclesia indictorum, absque licentia comedentes.

Temeratores Monialium, literas amatorias, vel inhonestas scribentes, mittentes, aut scientèr portantes, vel res, & actus inhonestos coram eisdem agentes, vel de inhonestis rebus cum ipsis, vel coram ipsis loquentes, sint ipso facto excommunicati Excommunicatione Nobis reservata.

Laici ementita Patrimonia Clericis ordinandis conficientes excommunicati sint ipso facto Excommunicatione Nobis reservata.

Omnes tàm Sæculares, quàm Regulares Confessarii, à casibus Episcopis reservatis, seù contentis in Bulla Cœnæ, & ab aliis quibuscunque extra illam Apostolicæ Sedi reservatis; absolvere ne præsumant, non obstantibus quibuscunque Privilegiis, ut per decretum Sacræ Congregationis 9. Januarii 1601. editum 20. Novembris 1601. et ampliatum iubente Urbano VIII. Summo Pontifice 18. Novembris 1628.

Admonendi sunt Parochi, & Confessarii, quod si à Nobis facultatem absolvendi à casibus reservatis obtinuerint, non ex hoc posse à Censuris absolvere; sicut è contra, eos non posse à casibus reservatis absolvere quando facultatem absolvendi a Censuris fuerint consecuti, & absolutiones, sivè à reservatis, sivè à Censuris suffragari Pœnitentibus pro foro conscientiæ tantùmmodo, nisi alitèr à Nobis specialitèr obtinuerint.

Confessarii absolvere non possint illos, quos in proxima voluntaria agnoverint occasione peccandi, sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus ipso facto incurrenda.

Item suspensionem à Divinis incurrant absolventes proprium complicem in re venerea, sivè completè, sivè incompletè delictum patratum fuerit.

Hanc Præceptorum, & Documentorum, & Casuum, & Excommunicationum reservatarum, nec non supradictarum Suspensionum paginam, unà cum Bulla in die Cœnæ Domini legi solita, quilibet Parochus, & Confessarius penès se habeat, & in Confessionariis utramq; affigat, easq; frequentèr perlegat, sub pœnis arbitrariis à Nobis declarandis.

MODUS ABSOLVENDI REGULARITER SERVANDUS AB OMNIBUS PAROCHIS, ET CONFESSARIIS.

Sacerdos postquam dixerit Misereatur tui, &c. Indulgentiam, absolutionem, &c. *dicat*: Dominus noster Jesus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti inquantum possum, & tu indiges. Ego te absolvo à peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri Jesu Christi, & merita B. Mariæ semper Virginis, & omnium Sanctorum; & quidquid boni feceris, & mali sustinueris sint tibi in remissionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.

Si pœnitens sit laicus omittatur verbum Suspensionis. *In Confessionibus frequentioribus, aut brevioribus omitti poterit* Misereatur, &c. Indulgentiam, &c. *satis erit dicere vel* Dominus noster, &c. *ut in Rituali, vel* Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Passio Domini nostri, &c.

Urgente aliqua gravi necessitate, in periculo mortis brevitèr dicere poterit. Ego te absolvo ab omnibus Censuris, & peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.

FLORENTIÆ. Ex Typographia Archiepiscopali, apud Vincentium Vangelisti.

PRÆCEPTA, ET

Pro Parochis, & omnibus Confess[...]

AB EMINENTISS. ET REVERENDISS. D. D. [...]
TITULI S. CÆCILIÆ PRÆSB. CARD. [...]

[illegible]

CB